FORTVNII LICETI
GENVENSIS
In Patauino Lycęo Philoſophi Ordinarij

AD SYRINGAM PVBLILIANAM ENCYCLOPAEDIA:

In qua Publilij Fiſtula deſcribitur, explicaturq; tactis vetuſtioribus poematijs Sphęrę, Throni, Labyrinthi, ac Pepli.

Ad Illuſtriſsimum & Reuerendiſsimum D. D.

EQ. CASSIANVM A PVTEO ABBATEM ETC.



Patauij apud Liuium Paſquatum, & Iacobum Bortolum:
M DC XXXV. *Annuentibus Superioribus.*

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D.D.

EQ. CASSIANO A PVTEO

ABBATI ETC.

FORTVNIVS LICETVS B. A.

VT omnes boni doctiq; viri paſſim admirantur Nobilitatem, Eruditionem, ac Probitatem, quas arcto nexu, firmoq; fœdere præclara Maiorum Tuaque Virtus in Te coniunxit, inclyte CASSIANE; ſic ego ſemper has tres præcelſas dotes tuas peculiari quadam ratione ſum veneratus: Quum enim tua claritudo, pridem ab atauis Heroibus fecũdo ſemine ſata, per longam exinde præſtantium virorum ſeriem culta et adulta, nunc demũ in Te fructus eos proferat, in quibus admirabilis Vrbs Vrbium Roma princeps *rarum veræ Nobilitatis intuetur exemplar: quumq; myſticus iſte tuus Puteus altiſsimus, nõ quidem ad inſtar antiqui Democritei ſapientiam in imo delite-*

ſcentem inuidus occulat, improboq; labore Studioſis guttatim hauriendam non niſi magno ſudorum fœnore permittat; ſed viciſſim eruditionum, gratiarumq; pleniſſimus vltro ſe ſe in omnes liberaliter effundat: quid mirum ſi Romanæ Curiæ Proceribus omnibus, ac ſpeciatim Eminentiſſimo Principi FRANCISCO Cardinali BARBARINO S.D.N. VRBANI Octaui, Principis ac Patris eruditionum, generoſiſſimo Nepoti cariſſimus habearis? quin et cunctis hominum ordinibus vnice ſuſpiciaris? Incertum eſt autem, an doctrina clarior, an ciuilibus officijs promptior, an claritate generis illuſtrior Tu dici debeas; quippe maxima concordia ſimul in Te degunt Intellectus perſpicacia, Volũtatis innocentia, Sanguiniſq; puritas eximia: tres tamen inter has hæc æmulatio, & in hoc vnum certamen eſſe videtur, quænam ipſarum Te magis conſpicuũ reddat; & ad hoc omnibus viribus contendunt ſingulæ; Stoici quidẽ cum Epicteto ſuo Virtuti morali palmam facile dederint; alij ſplendorem Nobilitatis reliquis duabus anteponere non dubitauerint; alij potius vni ſapientiæ primas conceſſerint: Ego vero di-

ſcens

ſcens ab Ariſtotele felicitatem humanam in aggregatione plurium bonorum conſiſtere, ſororiantes haſce tres tuas dotes in Te perficiendo mirifice contendentes ita comparandas autumo, dicendum vt ſit a nulla ipſarum aliam ſibi comparem vinci, ſed vnamquamq; ſemetipſam in Te condecorando plane ſuperare. Triplici quidem hoc aureo Nobilitatis, Eruditionis, & Probitatis eximiæ funiculo (quem neque mors omnia ſoluens facile ruperit, quum animi facinora ſint immortalia) tamquam vinculis aureæ catenæ, famigerabilium illarū Herculi & Homero tributarum imitatricis, in Tui cultum omnes probos, & omnes eruditos attrahere potuiſti, ſed me præſertim, qui pluribus ab hinc annis opera Illuſtriſſ. ac Reuerendiſsimi Caroli Antonij a Puteo patrui tui, tunc Piſarum Archiepiſcopi promotus adoleſcens ad nobilem Cathedram percelebris illius Academiæ gentilicio Puteo tuo viuo mancipatus. Cuius meæ veteris deditionis aliquod ſymbolum in præſentia Tibi præbere geſtiens, non indecorum exiſtimaui ſymbolicam Syringam a Porphyrio quidē olim admirabili quodam artificio conflatam,

a me

a me vero non ita pridem ſpiritu tenuioris eruditionis inflatam, inclyto Nomini tuo dedicare; quandoquidem inſtrumentum muſicum, ſapientiæ metris inſpirabile, vt vel ipſe Theocritus inquit, miræ conſonantiæ, ſummæq; concordiæ tuarum intellectualium, moraliumque virtutum cum inſigni tua Nobilitate non parum congruere videtur. Meam itaque commentationem hanc, etſi perexiguam, ſpero Te benigna fronte ſuſcepturum; & in exili volumine maximam animi mei propenſionem inſpecturum. Vale vir egregie, certoque ſcias me Tibi ſemper fore deuinctiſſimum. Dat. Pataüij in meo Scalumnæ Muſeo.

Cal. Nouembris MDCXXXIV.

Ad Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.D.

CASSIANVM A PVTEO.

HANC Deus excoluit primus Syringa repertor
Pan, propè & hac illi victus Apollo fuit.

Hanc & Apollo Deus coluit, qui creditur Atys,
Hancq; Deum matris conciliatus amor.

Regius hac Paris Oenones ſolatus amores,
Oenonem docuit carmina ſæpè ſuam.

Et Paris, & Pan, & dilectus Apollo Liceto
Conceſſit calamos, omnis & artis opes.

Ille, Decus Procerum, probat hoc te munere dignum
Muneribus Regum, muneribuſq; Deum.

At, ne Paſtorum gregis indignere cicutam,
Romanus Paſtor, quem colis ipſe, facit.

Matthæus Vaÿra
Phil. D.

Index Capitum in hoc opere contentorum.

Pręfatio , Scopum autoris, & Vtilitatem Tractationis aperiens.

Syrinx Optatiani deſcribitur, & maioribus litteris, vt ab Autore Publilio factum fuit, & minoribus characteribus, ad faciliorem eius lectionem & intelligentiam diſtinguendo ſingulos Fiſtulę calamos. Cap. I.

Explicantur accurata diligentia ſingulę particulæ Syringis Publilianæ. Cap. II.

De poematio Sphęrę, propoſitis Technometris conſimili. Cap. III.

De Antiquorum poematio, Throni nomine donato. Cap. IV.

De Vetuſto Idyllio , Labyrinthi vocabulo inſignito. Cap. V.

De Peplo, ſeu Pallio, Ariſtotelis tertij poematio. Cap. VI.

Peroratio totius Operis. Cap. VII. & poſtremum.

FOR-

FORTVNII LICETI
IN SVAM
ENCYCLOPAEDIAM
AD SYRINGAM
PVBLILII OPTATIANI PORPHYRII
PRAEFATIO.

SYringis poematium verſibus hexametris conſtructum à Publilio Optatiano Porphyrio, multas veteres hiſtorias inſinuans, multaq; priſcorum myſteria procul indigitans, peculiari volumine declarare nunc nobis eſt animus; quum hactenus nemo illius

explicationem aggredi voluerit, ſeu ob negocij difficultatem, ſeu aliam quamcumq; ob cauſam: laudant quidem omnia Publilij poëmatia ſeniores viri Mineruæ ſacris initiati, quicumq; literas coluerunt ętate avorum noſtrorum; ſed tantũ celebrantes artificioſiſſima noſtri poëtæ carmina, ipſorum ſtructuram & eruditionem valere ſinunt. Qui ergo Veterum idyllia tenebricoſa, & artificioſa dudum in noſtra Encyclopędia declarare, ac notis illuſtrare ſumpſimus; quique Theocriti Fiſtulam, ad cuius imitationem Syrinx hęc a Publilio conformata eſt, explicauimus opuſculo proprio; Publiliani metri Fiſtulam referentis Encyclopædiam omittere non debuimus. Nec minus Philoſopho, quam Oratori fuerit vtilis hiſtoriarum & poeticorum huiuſcemodi breuium & argutorum operum tractatio; de qua pulchre Plinius hęc ad Fuſcum ſuum ſcribere voluit. [a] *Scio*, inquit, *nunc tibi eſſe præcipuum ſtudium orandi; ſed non ideo ſemper pugnacem hunc, & quaſi bellicum ſtylum ſuaſerim: Ut enim terræ varijs, mutatiſque ſeminibus, ita ingenia no-*

a. lib. 7. epiſt. 9.

ſtra

ſtra nunc hac, nunc illa meditatione recoluntur: Volo interdum aliquem ex hiſtoria locum apprehendas, volo epiſtolam diligentius ſcribas, volo carmina; nam ſæpe in orationes quoq; non hiſtorica modo, ſed prope poetica deſcriptionis neceſſitas incidit, & preſſus ſermo puruſq; ex epiſtolis petitur; fas eſt & carmine remitti, non dico continuo & longo (id enim perfici niſi in ocio non poteſt) ſed hoc arguto & breui, quod apte quantaslibet occupationes curaſque diſtinguit: Luſus vocantur, ſed hi luſus non minorem interdum gloriam, quam ſeria conſequuntur, atq; adeo (cur enim te ad verſus non verſibus adhorter?

,, Vt laus eſt cerę, mollis cedenſq; ſequatur
,, Si doctos digitos, iuſſaq;, fingas opus?
,, Et nunc informet Martē, caſtāq; Mineruā,
,, Nūc Venerē effingat, nūc Veneris puerū.
,, Vtq; ſacri fontes non ſolū incendia ſiſtunt,
,, Sępe etiam flores, vernaq; prata iuuant;
,, Sic hominū ingeniū flecti, duciq; per artes
,, Non rigidas, docta mobilitate decet.

Itaque ſummi oratores, ſummi etiam viri ſic ſe aut exercebant, aut delectabant; immo de-

lectabant exercebantque. Nam mirum eſt vt his opuſculis animus intendatur, remittaturque. Vt hæc ſtudia viro graui non ſolum delectamento, ſed non mediocri pariter emolumento ſint. Age igitur incœptam ad veterum poematia Encyclopædiam compleamus.

FORTVNII LICETI AD SYRINGAM PVBLILIANAM ENCYCLOPAEDIA:

In qua Publilij Fiſtula deſcribitur, explicaturq; tactis vetuſtioribus poematijs Sphere, Throni, Labyrinthi, ac Pepli.

Syrinx Optatiani deſcribitur & maioribus literis, vt ab Autore factum eſt, & minoribus, ad faciliorem eius intelligentiam diſtinguendo ſingulos Fiſtulæ calamos. CAP. I.

ADEO difficilis viſa eſt eruditis cōſtructio poeticę Syringis, vt poſt Theocritum Syracuſium, eius poematij primum inuentorem, nemo tentauerit eam idyllij ſpeciem contexere, pręter Publilium Optatianum Porphyrium; qui nobile ac induſtrium, inſigneq; improbiſſimi laboris, ne dicam cum erudito *Velſero*, miſerrimę patientię, temeritatiſq; pene incredibilis panegyricum dixit Auguſto *Conſtantino* Cæſari, tantopere collaudatum ob artificioſas imagines a [a] D. Hieronymo, [b] Fulgentio, [c] Beda, [d] Magentio, [e] Cuſpiniano, & [f] Gyraldo: In quo qui-

a. in Chr. Cōſt. Magni.
b. 11. Mythol. de Vener.
c. de art. metr.
d. de laud. S. Cruc.
e. in Conſtant. vit.
f. de poet. hiſt. Dialog. 4.

dem

dem Publilij venuſtiſſimo eodemq; artificioſiſſimo libello duodecimum legitur epigrāma Syringen referens, literis omnibus maiuſculis inuicem parallelis, & inter ſe pariter equidiſtantibus delineatam hunc in modum.

S Y R I N X.

PRAECELSAEQVERCVSFRONDENTIINVERTICEPENDENS
TESTORTEMPLALOCIFAVNOSCELEBRAREFREQVENTES
DISPARIBVSCOMPACTAMODISTOTIDEMQVECICVTIS
DVICISONOPANVMOBLECTANSMODVLAMINESYLVAS
NAIADVMDRYADVMQVECHOROSARCANAQVEBACCHI
ORGIAETHEVVANTESSATYROSPERMVSICATEMPE
MEPANADTHYASOSDOCVITMODVLAMINECANTVS
ETVARIATASONISVINXITCONSORTIAPRIMVS
ATTISALMVSAMANSTVAMAXIMACVRACYBELE
EROSEOTERITOREDEVSMOLLIQVELABELLO
ACCENDITQVETVOSIDAEOSMATERAMORES
INMEFELICESANIMAVITCARMINAMVSAS
MEIVDEXFORMAEALTAGESTAVITINIDA
MELAETISOCIAMVOTIVICINAMARITO
EOOLVCISCANITINVITATASVBORTV.

a.l. ver. 4. Naidum . . . archanaq; . . . .
ver. 5. Euuantis Satiros . . . .
ver. 6. Thiaſos . . . . vel Thriaſos.

ver. 12. Formæ Iudex,

Que

Quę ad euidentiorem Syringis effigiem, & ad faciliorem lectionem ita vertere, atq; diſtinguere libuit in calamos.

SYRINX.

Præcelſæ quercus frondenti in vertice pendens
Teſtor templa loci Faunos celebrare frequentes
Diſparibus compacta modis totidemque cicutis

Dulciſono Panum oblectans modulamine ſyluas
1 Naiadum Dryadumque choros arcanaque Bacchj

2 Orgia & heuuantes Satyros per muſica tempe
3 Me Pan ad [1] Thyaſos docuit modulamine cantus — 1 Thriaſôs.

Et variata ſonis vinxit conſortia primus
Attis almus amans tua maxima cura Cybele

E roſeo terit ore Deus mollique labello
Accenditque tuos Idaeos mater amores

In me felices animauit carmina muſas
Me [2] iudex formæ alta geſtauit in Ida — 2. formæ iudex.

Me læti ſociam voti vicina marito
Eoo lucis canit inuitata ſub ortu.

Varias nonnullas lectiones a Velſero notatas non omittemus, quę tribus numeris ita ſignantur

„ 1 Naiadum Driadumq; choros archanaq; . . .
„ 2 . . . . . Heuuantis Satiros . . . . .
„ 3 . . . . . Thiaſos . . . . .

Expli-

Explicantur ſingulæ partes Syringis Publilianæ. Caput II.

QVod ſane poematium licet non ita difficile ſit intellectu ac Fiſtula Theocriti, nonnulla tamen ad eius explicationem notanda duximus. Inprimis enim ſolis verſibus hexametris totum hoc epigrãma conſtituitur; quum Theocriti Syrinx vario ac multiplici genere verſuum compacta fuerit; vt ſatis hinc appareat longe difficiliorem Publilio fuiſſe Fiſtulæ ſuę ſtructuram, quam Theocrito; cui ſpaciare licuit per varias metrorum ſpecies. Deinde vero quum Theocriteę Fiſtulæ verſus vnus & viginti númerentur, & Publilianę tantummodo quindecim; vtriuſq; totidem ſunt calami; nam & Theocritus Fiſtulam ſuam efformauit ſeptem cannis, quarum ſingula tres verſiculos continet; & Publilius propriæ Syringi ſeptenas dedit cicutas; quarum prima omnium maxima tres verſus complectitur; aliæ ſingulę ſeorſum binos. Artificium epigrammatis

matis in eo conſtitit, quod quum omnes verſus pariter hexametri ſint, ſemper tamen inferior quilibet ſuperiore ſuo breuior eſt vna litterula, vt vltimus admodum longa menſura, ſcilicet tredecim elementis a primo ſuperetur. Sed age ſingulas idyllij particulas ſeorſum diligenter conſideremus.

PRAECELSAE QVERCVS FRONDENTI IN VERTICE PENDENS

Fiſtulã priſci fingebant Pinus arbori ſuſpenſã, vt paſſim ſculpta videtur in antiquis marmoribus & gemmis, quod annotauit etiam in ſuis *Initijs Magnæ Deũ matris Ideæ & Attidis* eruditiſſimus Laurẽtius Pignorius: forte quia vtramq; Pan amauerit, Syringẽ videlicet ac Pityn, illam in Fiſtulam, & hanc in arborem Pinũ traſformatã: vel quia ea vteretur Attis in Pinũ etiã † mutatus. Publilius autẽ noſter hic Optatianus, meo iudicio melius Fiſtulam quercui ſuſpendit, tum quia pellices, vt fuere quoquopacto Panos Syrinx & Pitys, non bene conueniunt: tum quia Porphyrius apte ſic Syringen eſſe nympham Arcadiæ potuit ac voluit inſinuare; namq; teſtimonio [a] Plu- tarchi

† Ouid. 10 metam.

a Quæ. 92.

C

tarchi in Quæſtionibus Romanis, *Arcadibus aliqua eſt cum quercu cognatio; primi enim hominum e terra nati creduntur, ſicut quercus inter ſtirpes prima*. Duas autem quercus præcipuas dotes nunc tetigit Optatianus, altitudinem, & frondium honorem, myſtice ſignificare volens poeſim cultores ſuos reddere in hac vita præcelſos & eminentes, ac immortales, ſemperq; virentes, ſeu Deorum

b. Dial. 2 in Ion. filios; [b] quales a Platone Poetę nuncupantur in ſua Republica, & alibi. Fiſtula ſiquidem inſtrumenrum muſicum poeſeos index eſt. Cęterum quercus miræ proceritatis apud

c lib. 16. cap. 1. Aquilonares memorat [c] Plinius, aſſerens *earum aliquas ſuffoſſas fluctibus, aut propulſas flatibus, vaſtas complexu radicum inſulas ſecum auferre; atq; ita libratas ſtantes nauigare per Oceanum ingentium ramorum armamentis ſæpe territis Romanorum claſsibus, quum velut induſtria fluctibus agerentur in proras ſtantium noctu, inopeſq; remedij claſſes Romanæ prælium nauale aduerſus arbores inirent*. Quercum ſemper virentem, ac nunquam ſolia dimittentem in Thurrino agro,

vbi

vbi Sybaris fuit vrbs extitiſſe fatentur [d] Theophraſtus, [e] Varro, & [f] Plinius. Ita ergo Fiſtulam quercui præcelſę ac ſemper virenti appendens Optatianus, indicat Poetas viuentes eſſe pręclari nominis, & poſt obitum viuere in ſuis carminibus immortales.

d. 1. hiſt. cap. 15. et lib. cap. 4 e. 1. de re ruſt. ca. 7 f lib. 16. cap. 21.

TESTOR TEMPLA LOCI FAVNOS CELEBRARE FREQVENTES.

Inducit Optatianus hic Fiſtulam loquẽtem, longe minori miraculo, maioriq; veriſimilitudine, quam Doſiadas, & Anonymus ille Nonarius Terrigena, & alibi Porphyrius ipſemet, qui loquentes Aras introduxerunt; quandoquidem Syrinx fuit olim Nympha loquens; & ex ea in calamos conuerſa compacta Fiſtula eſt inſtrumentum muſicum inſpirabile, quod voces reddit, ac voces poteſt eleganter imitari; quemadmodum & [g] Ariſtoteles alicubi confitetur inquiens: *Vox autem ſonus quidam eſt animati; inanimatorum enim nullum ſonum edit; ſed ſecundum ſimilitudinem dicuntur vocem edere, vt tibia & lyra, et quæcũq; alia inanimatorum extenſionem habent, & melos, & locutionem; quia & vox*

g. 2. de ani. t. 87.

hæc habet. Poſitam vero ſcribit hic Optatianus Fiſtulam de quercu procera pendentem in ſignum conuentus Faunorum, agreſtium numinum, in templis eius regionis, vbi quercus adoleuit: Faunorum enim inſtrumentum muſicum proprium ac familiare fuit vna Syrinx, a Pane inter Faunos ſupremo primum inuenta & culta: loquitur autem de templis in numero multitudinis, quoniam priſci extra vrbes in agris paſſim multa delubra condere conſueuerant; quod aperte conſtat vel ex ipſomet Ariſtotele in [h] Politicis aſſerente: *Hunc eumdem ordinem in regione quoque imitandum eſſe dicimus: ſunt enim magiſtratus quidam apud ruſticos, quos alij ſyluarum cuſtodes, alij rectores, ſeu agrimenſores appellant; quibus & loca ad cuſtodiam regionis, et commeſſationes ſunt ijſdem in locis conſtituendæ. Templa quoq; per regionem conſtituta eſſe debent, partim Dijs, partim Heroibus.* Quos Deos agreſtes & Heroas alibi videtur innuiſſe Philoſophorum ſummus, dum aſſerit in viuentium genere prçditos eſſe intellectu homines, *et ſi quid aliud* inquit *huiuſmodi eſt aut*

h. 7 Poli. cap. 12.

i. 2. de ani c. 29.

etiam

etiam honorabilius. Decenter autem Publilius noſter Fiſtulam, organum agreſtis Muſæ, Faunis coniungit, & attribuit; quod Fauni a Marco Varrone dicuntur Latinorum Dei; quos Seruius ait a *Fando*, ſeu vaticinando dictos [k] Lilij Gyraldi conteſtatione, qui memorat, hinc

k. Synta. 15.

,, *Verſus, quos olim Fauni Vateſq; canebant.*

Quæ omnia poeſim plane reſpiciunt in ſermone ac vaticinio conſiſtentem: Vnde ſicuti poetæ vates menteq; abalienati cum a [l] Platone, tum ab [m] Ariſtotele ſæpenumero dicuntur; ſic Fauni promiſcue *Fatui* nuncupantur, quod mente moti vaticinarentur. Myſterium enim Fiſtulę, quę muſicum eſt inſtrumentum, apte deſignat Poeſim Publilio; cui dudum in Aræ poematio poeſis nuncupata fuit ars muſica.

l. in Ione
m. Poet. cap. 14. 30. ſect. probl. 1.

DISPARIBVS COMPACTA MODIS TOTIDEMQVE CICVTIS.

Proculdubio Syrinx organum muſicale diſparibus modis compactum eſt, tum quia ſingulæ cannę ſunt inter ſe diſpares magnitudine; tum etiam quia ob id ſingula cicuta ſo-

num

num edit a ſono alterius cuiuſque calami diſparem in grauitatis & acuminis [n] differentia, vt maioris tibię ſonus grauis audiatur, minoris minus grauis, & ita deinceps gradatim, vt ſemper fiſtulæ decrementum ſequatur ſonitus acumen; tum demum quia calami numero diſpares eſſe debent, aut ſeptem, aut nouē, vt obſeruauimus in Encyclopędia ad Syringam Theocriti apud inclytum Salmaſium; qui ſecus opinabatur, illam deno cicutarum numero conſiſtere. Cęterum numero diſpari gaudet Deus ille Pan in ſuo Syringis inſtrumento, quo refert harmonicum cœleſtis muſicæ concentum, ſiue ſeptem planetarum orbibus editum, ſiue nouem totius cœli ſphæris, Pythagoricę menti, non auribus vulgi perceptibilem, vt annotabat in ſua muſica [o] Boethius. Sed & in parui mundi, magno illi aptiſſima [p] proportione reſpondentis, compagine ſeptem etiam Syringis myſticę fiſtulas diſpari magnitudine ſpectare licet, muſicam humanam conſtituentes, ab eodem [q] Boethio tactam, nimirum Terram, aquam, aerem, ignem, vegeta-

n. 2. de ani. t. 86.

o. cap 9.

p. 8. Phy tex. 17.

q cap. 2.

getalem, ſenſualem,& rationalem animam, quarum canna maior & corpulentior terra grauiſſimum ſonum edit; minus grauem aqua, minorem materiæ copiam in minori [r] denſitate continens; adhuc minus grauem aer, eadem ratione; minime grauem ignis; aſt acutum anima vegeta,quę de ſe ſubſtantia eſt [s] incorporea quantum ad genus & eſſentiam; acutiorem anima ſentiens, quæ magis a corpore abſoluitur,inter operandum vtens rerum ſimulacris vtcunque a materia [t] ſeparatis: at acutiſſimum anima rationalis, quę a corpore quantum ad eſſe, & quantum ad operari penitus eſt [u] ſeparabilis, ac omnino immortalis.

r. 3. cœl. tex. 10

s 11. de ani. t. 72. & ſeqq. 2. de ani. t. 2. & ſeqq.

t. 2. de ani. tex. 121.

u. 3. de ani tex. 67.

DVLCISONO PANVM OBLECTANS MODVLAMINE SYLVAS.

Fiſtula vt agreſtis Muſę inſtrumentum,apte Dijs ſylueſtribus, qui Panes appellantur, a Porphyrio decorum hic maxime ſeruante tribuitur: Quin vt poeſis eſt hominis oeſtro perciti, ac furore quodam diuino ſupra naturalem hominis conditionem quodammodo elati, de ſententia ſummorum Philoſo-

phiæ

x in Ione y. Poet. cap. 14. 30. Sect. probl. 1.

phię Procerum [x] Platonis & [y] Ariſtotelis: ita poetę nunc allegorice ſeu myſtice deſcribuntur per Panes, qui miſtam naturam habent ex humana & diuina. Muſa vero agreſtis quum haud tractet Heroum geſta, nec tragica, nec epica, nec etiam comica ciuium facinora, ſed ruſticana ſolum attingat argumenta, ad tubę, lyræque differentiam decentiſſime Syrinx dicitur oblectare dulciſono Panum modulamine ſyluas, non theatra ciuilia.

NAIADVM DRYADVMQVE CHOROS.

Cęterum ne quis arbitraretur, in ſyluis muſam agreſtem ſolum viles caprariorum, opilionum, ſubulcorum, bubulcorumq; aures detinere; quum poeſis maxime diuinitatem ſapiat; ſcite nobilium etiam Nympharum choros demulcere dicitur hęc Fiſtula, illuſtrium ſcilicet virorum animas: nam & [z] Virgilius auena gracili carmen modulatus fuit Auguſto Romanorum Imperatori, & mentibus prę ſtanti ſapientia claris. Hinc Plato in carminibus a Mythologo [a] Comite citatis aſſe-

z. Æneid.

a. lib. 5. cap. 6.

aſſerit Pana Fiſtulę cantu delectare Nymphas, inquiens. a. lib. 5. cap. 6.

Σιγάτω λάσιον δρυάδων λέπας, οἵτ' ἀπὸ πέτρας
Κρουνοὶ, καὶ βληχὰ πολυμικὴς τοκάδων

Αυτὸς ἐπεὶ Σύριγγι μελίσδεται εὐκελάδω Πὰν,
Υγρὸν ἱεὶς ζευκτῶν χεῖλος ὑπὲρ καλάμων

Αἱ δὲ πέριξ θαλεροῖσι χόρον ποσὶν ἐστήσαντο
Υδριάδες νύμφαι, νύμφαι ἁμαδρυάδες. hoc eſt:

„ Conticeāt Dryadū colles, conteſq; perēnes
„ Ipſaq; conticeant pignora parua gregis.
„ Fiſtula dulce canit quia Panos labra canoris
„ Humida vt illius addita ſunt calamis.
„ Hunc circa ſtatuere chorum molli pede Nymphæ
„ Hydriades, pariter Nymphæ & Hamadryades.

Quos verſus Platonis hoc ſuo metro non iurarem non inſinuaſſe Publilium; qui potuit etiam alludere ad illos verſus Anytæ, ab eodem [b] Mythologo relatos, quibus Pan dicitur eſſe Nympharum dux, ita: b. ibid.

Κρημνοβάταν δίκερον, νυμφῶν ἡγήτορα πᾶνα
Αζόμεθ', ὃς πέτρινον τόνδε κέκευθε νόον. id eſt:

„ Montiuagum colimus, cornutum Pana, Ducemq;

„ Nympharum: cuius ſaxea ſtructa domus.
Dicitur enim habitare ſpeluncas.

ORGIA. . . . .
. . . . . . ARCANAQVAE BACCHI.

Bacchi ſolemnia appellat arcana Publilius, quia nocturna ſacra Baccho fieri conſueuerant poſterioribus temporibus, quum priſcis diurna fierent, qua de re poſt eloquentiſſimã & longiſſimam Titi [†] Liuij narrationẽ ex ipſo Liuio deſumptam, pręclarum habectus Polydori [c] Virgilij teſtimonium, qui tractans de rerum inuentoribus ita ſcribit: *Sed Bacchanalia ſacra vberrimum apud cunctas ferme gentes libidinis ſeminarium fuere, quorum autor fuit Melampus Amytheonis filius, primuſq; apud Græcos detulit ex Aegypto, vbi ea ſacra fieri cœpere: feminæ enim ſtatuas cubitales e neruis compactas, quibus ingens mentula in ventre extabat, per pagos præeunte tibia circumferebant Bacchum canentes. Deinde in Parnaſſo monte Bacchanalia, quæ Græcis Dionyſia dicuntur, alternis annis acta ſunt magno cum hominum multo mero incalentium cla-*

† l. 39. ab V. C.

c. lib. 3. cap. 27.

clamore, cum tympanorum crepitu. Haud multo poſt, Græcus quidam homo ignobilis eiuſmodi ſacrorum Antiſtes in Etruriam venit, docuitq; ritus. Ex Etruria ea mali labes mox Romam penetrauit, vbi mirandum in modum morbi contagione matronarum pudicitiam corrupit. Primo ſacrarium feminarum fuit, nec quiſquam virorum admiſcebatur, tres in anno ſtatutos dies habebant, quibus interdiu Bacchis initiarentur; ſacerdotes inter ſe matronæ creabantur: quum demum Pacculla Minia Campana facta eſt Sacerdos, hæc omnia tanquam Deorum monitis immutauit; ſane viros, & cum primis filios initiauit, nocturnumq; ſacrum ex diurno, & pro tribus in anno diebus quinos in ſingulos menſes initiorum ſacros fecit. Tum promiſcue ſacra viri feminis permiſti facere cœperunt, vbi quum per noctis licentiam quiduis ſcelerum vnicuique edere liceret, nihil facinoris, nihil flagitij prætermittebatur; ſiquidem eo loci ſtupra pariter, atq; cædes redundabant, quādo qui aut ad Venerem pigriores, aut dedecoris minus patientes erant (nā poſtremo nemo maior viginti annis initiabatur) morte afficie-

bantur; nec id multis cognitum; quum nulla vox queritantium præ vlulatu, tympanorum, cymbalorumq; ſtrepitu exaudiri poſſet; & mortui ex conſpectu illico in ſpecus abderentur: ſumma religionis erat inter eos, viros veluti mente captos corporis iactatione fanatica vaticinari, matronas Baccharum habitu, crinibus paſsis cum facibus ardentibus diſcurrere, et mactatos dicere a Dijs raptos. Vnde multa Publilius argumenta deſumere potuit, quibus orgia Bacchi dicere debuerit arcana; in primis enim quoniam a ſolis mulieribus celebrabantur, erant arcana viris; deinde quoniam noctu celebrabantur, non interdiu, adeoq; in abdi-
d.lib. 19. to tenebrarum; quod &[d] Volaterranus inſit, *Bacchanalia noctu celebrantur;* & ante Vola-
e.6.Metamor. terranum vtrumq; notat [e] Ouidius inquiens.

Tempus erat, quo ſacra ſolet trieterica Bacchi
Sithoniæ celebrare nurus: nox conſcia ſacris.
Nocte ſonat Rhodope tinnitibus æris acuti,
Nocte ſua egreſſa eſt domo regina, Deiq;
Ritibus inſtruitur, furialiaq; accipit arma;
Vite caput tegitur, lateri ceruina ſiniſtro
Vellera dependent, humero leuis incubat haſta,

Con-

Concita per ſyluas turba comitante ſuarum
Terribilis Progne, furijſq; agitata doloris
Bacche tuas ſimulat, uenit ad ſtabula auia tãdẽ.

Deinceps quia cædes & flagitia in ijs orgijs perpetrata occultabantur: Deniq; verò quia libidinoſis illis Phallis myſteria recondita ſignificabantur, nimirum vberem frugum prouentum, largamq; procreationem animalium, & magnam hominum fœcunditatem; quod & Diuus [f] Auguſtinus adnotauit in volumine ſuo de ciuitate Dei dicens. *Iã vero Liberi, quẽ liquidis ſeminibus, ac per hoc non ſolum liquoribus fructuũ, quorũ quodãmodo primatũ vinum tenet, verũ etiam ſeminibus animalium præfecerunt, ad quantã turpitudinem uenerunt piget quidem dicere propter ſermonis lõgitudinem, &c.* & hæc fœcunditas animantiũ prętenſa in orgijs Bacchi mentulas nutantes, & pręgrandes circũferẽtibus, eſt illa ratio ſacra, de qua meminit Herodotus in Euterpe [g] dicẽs: *Quin & aliũ diẽ feſtum Baccho Aegyptij agunt ſine porcis fere per omnia Græco feſto perſimilem: Sed loco Phallorum (ideſt ficulneorum veretrorum a collo pendentium) ſunt ab eis*

f. 7. lib. cap. 21.

g. cap. 48

exco-

excogitatæ ſtatuæ cubitales e neruis compactæ; quas fœminæ circumferunt per pagos mentula nutante, quæ propemodum eſt inſtar reliqui corporis; & tibia præeunte, quā feminæ Bacchum canentes ſequuntur. Cur autem mentulam maiorem ſtatua, & vnum corporis membrum agitet, redditur ab eo ratio ſacra. Scilicet, non ſiſti debere nos in cortice talium cęremoniarum, quæ laſciuiam & quandam turpitudinē repręſentare videntur; ſed animum appellere debere ad intimam myſterij medullam, quæ eſt, Bacchum præfici viuentium omnium fœcunditati ac vbertati; & quia viuentium fœcundorum apex eſt homo, qui & omnium [h] perfectiſſimum viuens eſt, & omnium fœcundiſſimum, vt cui a natura non pręfinitum ſit [i] vnum concipiendi & pariendi tempus anni, ſed quolibet anni tempore concipere, ac parere generareq; valeat, ad aliorum fere omnium viuentium differentiam; propterea in honorem Bacchi circumferri ſolita membra hominis generationi ſobolis inſeruientia; proindeque Bacchi ſacra recte dicuntur a Publilio nunc arcana.

h. 6. eude cap. 7. 2. de part. c. 10.

i. 4. de gen. ani. cap. 5.

Sed

Sed eo etiam nomine vocantur arcana Bacchi orgia, quo nefas erat initiatis ea propalare; qua de re pulchram habemus hiſtoriam apud T. Liuium,† cui Poſtumius Conſul *dimiſſa Aebutia, ſocrum rogat, vt Hiſpalam indidem ex Auentino libertinam non ignotam viciniæ accerſeret ad ſeſe: eam quoque eſſe, quæ percunctari vellet: ad cuius nuncium perturbata Hiſpala, quod ad tam nobilem & grauem feminam ignara cauſſæ accerſeretur; poſteaquam lictores in veſtibulo, turbamque conſularem & conſulem ipſum conſpexit, prope exanimata eſt. In interiorem partem ædium abductam ſocru adhibita conſul, ſi vera dicere inducere in animum poſſet, negat perturbari debere: fidem vel ab Sulpicia, tali femina, vel ab ſe acciperet, expromeret ſibi, quæ in luco Similæ Bacchanalibus in ſacro nocturno ſolerent fieri. Hoc vbi audiuit, tantus pauor, tremorque omnium membrornm mulierem cepit, vt diu hiſcere non poſſet: tandem confirmata, puellam admodum ſe ancillam initiatam cum domina ait: aliquot annis, ex quo manumiſſa ſit, nihil quid ibi fiat, ſcire. Iam id ipſum conſul laudare, quod*

† lib. 39. ab. V. C.

ini-

initiatam ſe non inficiaretur: ſed & cetera eadem fide expromeret: neganti vltra quidquam ſcire, non eamdem, dicere, ſi coarguatur ab alio, ac per ſe fatenti, veniam aut gratiam fore: eum ſibi omnia expoſuiſſe, qui ab illa audiſſet. Mulier haud dubie, id quod erat, Aebutium indicem arcani rata eſſe, ad pedes Sulpiciæ procidit, & eam primo orare cœpit, ne mulieris libertinæ cum amatore ſermonem, in rem non ſeriam modo, ſed capitalem etiam verti vellet: ſe terrendi eius cauſſa, non quod ſciret quidquam, ea locutam eſſe. Hic Poſtumius accenſus ira, tum quoque ait eam cum Aebutio ſe amatore cauillari, credere, non in domo grauiſsimæ feminæ, & cum conſule loqui: & Sulpicia attollere pauentem, ſimul illam adhortari, ſimul iram generi lenire. Tandem confirmata, multum incuſata perfidia Aebutij, qui optimi in eo ipſo meriti talem gratiam retuliſset: magnum ſibi metum deorum, quorum occulta enunciaret; maiorem multo dixit hominum eſſe, qui ſe indicem manibus ſuis diſcerpturi eſſent: Itaque hoc ſe Sulpiciam, hoc conſulem orare, vt ſe extra Italiam aliquo amandarent, vbi reliquum vitæ degere

tuto poſſet. Bono animo eſſe iubere eam conſul, & ſibi curæ fore dicere, vt Romæ tuto habitaret. Tum Hiſpala originem ſacrorum expromit. &c. ac mox, *Peracto indicio aduoluta rurſus genibus, preces eaſdem, vt ſe ablegaret, repetiuit:*

. . . . ET HEVVANTES SATYROS PER MVSICA TEMPE

Muſa Paſtoralis, per fiſtulam allegorice ſignificata, non ſolum Nymphas, quę cultiores homines a fœce plebeculæ ſegregatos repręſentant, oblectare poteſt; ſed etiam viros principes, & Deo ſacros; qui per Satyros myſtice denotantur, quibus de priſcorum opinione diuinitas quædam ineſſe dicitur. Principes etenim ſummi Dei vicem gerentes in terris, vt innuit etiam Ariſtoteles[c] alicubi, Dij terreni dici poſſunt, Dij mortales, homineſque diuini, quales antiqua Gentilitas finxit eſſe Satyros, non reclamante prorſus [d] Ariſtotele. Sed & Satyri orgia Bacchi celebrantes, adeoque Heuuantes per muſica Tempe, non inepte referunt Sacerdotes Deo laudes muſicis concentibus aſſidue canentes;

c.12.me. t.52. 56.

d.2. de ani.t.29.

E ſunt

ſunt enim vt Satyri procul a mortalibus vitam in ſyluis agentes, a populo ſegregati. Decenter autem Fiſtula Panis dicitur oble-ctare Satyros Heuuantes orgia Bacchi, quia Pan Bacchi fuit amicus, & comes, vt in Dio-
e.lib. 42. nyſiacis [e] Nonnus conteſtatur, inducens Pana ſic Baccho dicentem:

Ξυνὰ παθὼν φίλε Βάκχε τεὰς ὤκτειρα μερίμνας,
Καὶ σε πόθεν νίκησεν ἔρως θρασὺς, εἰ θέμις εἰπεῖν.
Εἰς ἐμὲ καὶ Διόνυσον ἔρως ἐκένωσε φαρέτρην.

hoc eſt:

„ Communia paſſus, amice Bacche, tuas miſeratus ſum curas,
„ Et te quomodo ſuperauit Amor audax, ſi fas dicere
„ In me,&Bacchũ Amor vacuauit pharetrã.

f. lib. 5. cap. 13. Bacchi Sacerdotes Mythologo [f] Comiti dicuntur fuiſſe Satyri, Sileni, & Nymphæ Na-
g. lib. 10. iades; quod a [g] Strabone didicerat. Satyros autem iſtos Bacchi Sacerdotes denominat Optatianus *Heuuantes*, quia clamabant ingeminantes vocem *Euohe* boni ominis ac felicitatis: Dionyſius in Coſmographia

Euohe Bacchæ frementes.

Atque

Atque [h] Mythologus *Bacchi Sacerdotes*, ait, *currebant cum tædis & funalibus accenſis per noctem, quibus vtebantur in illis ſacrificijs, atque crinibus paſsis ita clamabant currentes Euohe, quæ uoces ſunt bene ac feliciter precantium.* Quin & Plutarchi teſtimonijs in *Erotico* Panici furores conuenire dicuntur cum Orgijs Bacchi; nam ſimiliter a Sacerdotibus vlulantibus *Heu Heu*, ac veluti fanaticis ac extra ſe poſitis cum clamoſo cantu celebrabantur. Quo ſignificare voluit Optatianus Poeſim eſſe munus hominis diuino furore perciti & agitati, cantu grandiloquo complentis omnia amœna loca aquis irrigua, Tēpe nuncupata.

h. lib. 3. cap 13.

PER MVSICA TEMPE.

Huiuſmodi ſane ſunt olorum ac poetarum habitationibus opportuna, cuiuſmodi ſunt Theſſalica Tempe, pulchre ſic ab [i] Aeliano deſcripta

i. lib. 3. cap. 1.

„ Ageſis igitur, quæ vocant Tēpe Theſſalica
„ nunc oratione pingamus atq; effingamus.
„ Nam in confeſſo eſt orationē, ſi explicandi

„ vim ac facultatem habeat, non minus quę
„ velit ponere ob oculos poſſe, quàm viros
„ manuum artificio præſtantes. Eſt igitur lo-
„ cus inter Olympum, & Oſſam ſitus. Sunt
„ autem hi montes altitudine immenſa præ-
„ diti, & quaſi diuina quadam cura diſiuncti,
„ atq; in medio locum complectuntur, cuius
„ lõgitudo ad quadraginta ſtadia porrigitur,
„ latitudo vero in alijs partibus continet
„ plethrum, ideſt, pedes centum, in alijs pau-
„ lo etiam plus. Per hunc medium labitur
„ qui Peneus appellatur, in quem reliqui flu-
„ uij confluunt, & aquam ei communican-
„ do, magnum efficiunt. Hic locus habet
„ varia & omnis generis oblectamenta; non
„ manibus hominum facta opera, ſed ſpon-
„ tanea naturæ, quę tunc plurimum ad pul-
„ chritudinem & ambitioſe ei contulit, quũ
„ locus primum naſceretur. Nam in eo he-
„ dera copioſa & admodum hirſuta viget ac
„ floret, & inſtar generoſarum vitium in pro
„ ceras arbores aſcendendo ſerpit, atq; ipſis
„ adnaſcitur. Eſt & ſmilacis magna copia,
„ quem collem ipſum aſcendens ſaxum inũ-

brat,

„ brat, ita vt illud quidem lateat, cernatur
„ vero nihil pręter viridantem herbam, ſitq;
„ veluti quędam oculorum panegyris . In
„ ipſo campo & planitie varij ſunt luci, & ſce-
„ næ cõtinuę , ęſtiuo tempore gratiſſima via-
„ toribus receptacula , in quibus ſuauiter re-
„ frigerari poſſunt . Diffluunt etiam riui cre-
„ bri, & aquæ frigidæ , adque bibendum ſua-
„ uiſſimæ . Has aquas perhibent prodeſſe
„ etiam lauantibus , & ad ſanitatem confer-
„ re . Concinunt etiam aues hinc inde di-
„ ſperſę , & in primis muſicę , quæ auribus
„ magnam voluptatem afferunt , atq; inde-
„ feſſos cum voluptate deducunt , modula-
„ tionibus ſuis pretereuntium laborem ſu-
„ bleuantes . Ad vtrumque latus fluminis
„ oblectamenta illa ſunt, de quibus antea di-
„ xi , & recreationibus quietique apta loca .
„ Per media vero Tempe Peneus venit, quie-
„ te & leniter procedens in modum olei , qui
„ vmbris affatim contegitur , quæ ab aſſita-
„ rum arborum ramis ortæ maxima diei par
„ te ſolares radios arcent a flumine, & naui-
„ gantibus temperatam frigore nauigatio-

nem

„ nem præbent. Omnis autem vicinus po-
„ pulus alij cum alijs conueniunt, & ſacrifi-
„ cia offerunt,& congrediuntur, & commeſ-
„ ſantur. Quum igitur multi ſunt qui ſacra
„ faciunt, & rebus diuinis operam continuo
„ nauant, fit vt iſthac iter facientibus, aut
„ naui vectis, fragrantes odores ſuboleant.
„ Ita Deorum cultus indeſinens, locum ſan-
„ ctum efficit.

Conſimilem locum nomine Tempe Publilius in hac Syringe nobis inſinuauit.

ME PAN AD THYASOS DOCVIT MODVLAMINE CANTVS.

k. 8. Eth. cap. 9.

l. lib. 8. c. 12. 16.

m. lib. 27 cap. 24.

Thyaſus quamuis in [k] Ethicis Ariſtoteli, Demoſtheni ſuo coætaneo, & Xenophonti dicatur eſſe multitudo quęlibet, conuentuſque hominum coeuntium diuinæ rei cauſa; quin & Athęneo in [l] *Dipnoſophiſtis*, ac in *Antiquis* [m] *lectionibus* Rhodigino Cœlio conſtituatur, non reclemante Ariſtotele, conuiuantium cœtus, vt conſtat ex his Athęnei verbis: καλεῖται δὲ ὁ αὐτὸς καὶ ἔρανος καὶ θίασος, καὶ συνιόντες ἐρανισταὶ καὶ συνθιασῶται. hoc eſt: *Eranon etiam Thiaſum vocant, & Eraniſtas, qui coeunt in conuiuia, & con-*

& conthiaſiotas ; proprie tamen Thyaſus ijſdem autoribus, & Euripidi pręſertim dicitur ſacer chorus Baccho ſacra faciens, ac in eius honorem tripudians ; nam & apud eundem Athęneum ibidem legimus : καλεῖται δὲ καὶ ὁ τῷ Διονύσῳ παρεπόμενος ὄχλος θίασος, ὡς Ευριπίδης φασὶν·

Ορῶ δὲ θιάσους τρεῖς γυναικείων χορῶν.

τοὺς μὲν οὖν θιάσους ἀπὸ τοῦ θεοῦ προσηγόρευον, καὶ γὰρ αὐτοὺς τοὺς θεοὺς οἱ Λάκωνες σίους φασὶ. hoc eſt : *Thiaſum etiam nominant turbam, quæ ſequitur Bacchum, quo ſignificatu dixit Euripides :*

Thiaſos video tres chororum muliebrium.

Thiaſos iſtos ab appellatione Dei, quem Lacones Sion vocant, nominarunt. Vnde & Virgilio in [n] Bucolicis

n.Eclog. 5.

„ Daphnis & armenias curru ſubiūgere tigres
„ Inſtituit, Daphnis Thyaſos inducere Baccho.

& apud eundem in [o] Heroicis Dido

o. 4. Aen.

„ Sęuit inops animi, totāq; incenſa per vrbē
„ Bacchatur; qualis commotis excita ſacris
„ Thyas, vbi audito ſtimulant trieterica Baccho
„ Orgia, nocturnuſq; vocat clamore Cithęrō.

&

p. 7. Aen. & [p] multo poſt:

„Tum quorum attonitę Baccho nemora auia matres

„Inſultant Thyaſis.

In his igitur orgijs Bacchi, quæ Thyaſorum nomine nuncupat hic Publilius Optatianus; Pan clamoribus furentium Satyrorum, & vlulatibus Euuantium Faunorum admiſcuit Fiſtulę ſonum & cantum, vt eorum inſaniã vtcunq; leniret, & laſſitudinem etiam refocillaret: Vnde Syrinx ipſa loquens ait: Pan ad Bacchi Thyaſos me docuit ſonare modulamine cantus; quia ſcilicet ſuauitate Fiſtulę deliniebat Bacchantium furores, dicitur modulamine cantus Fiſtula compeſcere ac moderari Thyaſidarum impetus, recreareq; laſſitudines: vel etiam Pan me docuit ac inſtituit modulamine ad cantus Thyaſos in orgijs Bacchi celebrari ſolitos. Nec omittendum hic eſt, fortaſſe Thyaſi nomine ſignificari vel poeticum furorem; vel etiam folia ficus, quibus Bacchantes vultum ſibi velabãt, quę a Suida nuncupantur vocabulo Thriaſi, dum ait: *Thriaſum enim dicunt poeticum furorem,*

rorem, vel quod Thria, ideſt, folia fici Baccho ſacra ſint, & quod primum ante perſonas inuentas ficulnis folijs facies tegerent, & iambicis verſibus alios inceſſerent. Sed & milites ſcenicos imitati, facie fici folijs tecta dicteria in Triumphatores iaciebant. Cantu vero ac ſono, & omnino muſica demulceri, ac ſedari furentum inſaniam nos aperte docet tum ſacra [q] pagina, apud quam, *Spiritus domini receſſit a Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequã a domino: Dixeruntque ſerui Saul ad eum; Ecce ſpiritus Dei malus exagitat te: Iubeat dominus noſter, et ſerui tui, qui coram te ſunt, quærent hominem ſcientem pſallere cithara, vt quando arripuerit te ſpiritus domini malus, pſallat manu ſua, & leuius feras.* Et ait Saul „ad ſeruos ſuos: Prouidete ergo mihi ali„quem bene pſallentem, & adducite eum „ad me. Et reſpondens vnus de pueris ait: „Ecce vidi filium Iſai Bethleemitem ſcien„tem pſallere, & fortiſſimum robore, & vi„rum bellicoſum, & prudentem in verbis, & „virum pulcrum, & dominus eſt cum eo. „Miſit ergo Saul nuncios ad Iſai, dicens:

q. 1. Reg cap. 14.

„ Mitte ad me Dauid filium tuum qui eſt in
„ paſcuis. Tulit ergo Iſai aſinum plenum
„ panibus, & lagenam vini, & hœdum de ca-
„ pris vnum, & miſit per manum Dauid fi-
„ lij ſui, Sauli. Et venit Dauid ad Saul, &
„ ſtetit coram eo. At ille dilexit eum nimis,
„ & factus eſt eius armiger. Miſitque Saul
„ ad Iſai dicens: Stet Dauid in conſpectu
„ meo: inuenit enim gratiam in oculis meis.
„ Igitur quandocumq; ſpiritus domini ma-
„ lus arripiebat Saul, tollebat Dauid citha-
„ ram, & percutiebat manu ſua, & refocilla-
„ batur Saul, & leuius habebat. Recedebat
„ enim ab eo ſpiritus malus. Vbi Gloſſator
ait; *Erat Dauid canticis muſicæ eruditus.* &
mox: *Apprehenſa Dauid cithara Sauli ſe-
dabat inſaniam.* Et Paulo poſt: *Quum ergo
Saul ab immundo ſpiritu arriperetur Dauid
canente eius veſania temperatur. Quia quum
ſenſus potentum per elationem in furorem ver-
titur, dignum eſt vt ad ſalutem mentis quaſi
dulcedine citharæ locutionis noſtræ tranquilli-
tate reuocetur.* Tum etiam apud [r] Boethium
„ Plato negat tantam eſſe morum in Repu-
blica

[r] lib. de muſic. in prolog

,, blica labem, quam paulatim prudens, ac ,, modeſta muſica non curet. Tum ipſimet Boethio, *Vulgatum eſt quam ſæpe iracundias cantilena repreſſerit, quam multa vel in corporum, vel in animorum affectionibus miranda perfecerit: cui enim illud eſt ignotum, quod Pythagoras ebrium adoleſcentem Taurominitanum ſub Phrygij modi ſono incitatum ſpondeo ſuccinente reddiderit mitiorem, et ſui compo-* ,, *tem?* nam quum ſcortum in riualis domo ,, eſſet clauſum, atque ille furens vellet do- ,, mum amburere, quumq; Pythagoras ſtel- ,, larum curſus (vt ei mos nocturnus) inſpi- ,, ceret, vbi intellexit ſono Phrygij modi in- ,, citatum multis amicorum admonitioni- ,, bus a facinore noluiſſe deſiſtere, mutari ,, modum præcepit, atq; ita furentis animũ ,, adoleſcentis ad ſtatum mentis pacatiſſimę ,, temperauit: Quod ſcilicet Marcus Tul- ,, lius commemorat in eo libro quem de Cõ- ,, ſilijs ſuis compoſuit, aliter quidem, ſed hoc ,, modo: Sed vt aliqua ſimilitudine addu- ,, ctus maximis minima conferam, vt quum ,, vinolenti adoleſcentes tibiarum etiam cã-

,, tu (vt ſit) inſtincti, mulieris pudicę fores
,, frangerent, admonuiſſe tibicinam vt ſpon-
,, deum caneret Pythagoras dicitur: quod
,, quum illa feciſſet tarditate modorum &
,, grauitate illorum furentem petulantiam
,, conſedaſſe. *ac mox*: Sed etiam Empedo-
,, cles, quum eius hoſpitem quidam gladio
,, furibundus inuaderet, quod eius ille patrē
,, accuſatione damnaſſet, inflexiſſe dicitur
,, modum canendi, itaq; adoleſcentis iracun-
,, diam temperaſſe. In tantum vero priſcæ
,, Philoſophię ſtudijs vis muſicæ artis inno-
,, tuit, vt Pythagorici, quum diurnas in ſom-
,, no reſoluerent curas, quibuſdam cantile-
,, nis vterētur, vt eis lenis, & quietus ſomnus
,, irreperet. itaq; experrecti alijs quibuſdam
,, modis ſtuporem ſomni confuſionemque
,, purgabant. Id nimirum ſcientes, quod to-
,, ta noſtrę animę corporiſq; compago muſi-
,, ca coniuncta eſt, nam vt ſeſe corporis affe-
,, ctus habet, ita etiam pulſus cordis motibus
,, incitantur. *Et paucis interpoſitis*. Nonne
,, etiam illud manifeſtum eſt, in bellum pu-
,, gnantium animos tubarum carmine ac-
cendi?

„ cendi ? quod ſi veriſimile eſt ab animi pa-
„ cato ſtatu quemquam ad furorem atque
„ iracundiam poſſe proferri; non eſt dubium
„ quod conturbatæ mentis iracundiam, vel
„ nimiam cupiditatem modeſtior modus
„ poſſit aſtringere. *Ita Boethius: cui adſti-
pulatur non ſolum in Timæo Plato ſcribens in
hanc ſententiam:* Atqui & harmonia, quę
„ motiones habet animę noſtræ diſcurſioni-
„ bus congruas atque cognatas, homini pru-
„ denter Muſis vtenti non ad voluptatem ra-
„ tionis expertem, vt nunc videtur, eſt vtilis;
„ ſed à Muſis ideo data eſt, vt per eam diſſo-
„ nantem circuitum animæ componamus,
„ & ad concentum ſibi congruum rediga-
„ mus: Rhythmus quoq; ad hoc videtur eſ-
„ ſe tributus, vt habitum in nobis immode-
„ ratum, gratiaq; carentem aptiſſime tempe-
remus; *Verum etiam tum Platonis magnus
ille Magiſter Timæus Locrus in opere ſuo de
vniuerſitatis natura dicens:* † At vero Muſi- † circa ſin.
„ ca, & huius Dux Philoſophia ob animæ cor
„ rectionem conſtitutę a Dijs & Legibus, aſ-
„ ſuefaciunt & ſuadent, & partim etiam co-

gunt

,, gunt rationis exortē partem rationi prędi-
,, tæ obedire : rationis autem exortis partis
,, eam partem, quę ad iram concitatur man-
,, ſuetam eſſe, cupiditatem vero quieſcere, vt
,, non abſq; ratione moueantur, neq; tamen
,, conquieſcant mente ipſas prouocante aut
,, ad opera, aut ad fructum voluptatis : hinc
,, enim eſt temperantiæ terminus, obedien-
tiaque & tolerantia : tum Platonis non mi-
s Enn. 1. lib. 3. nor diſcipulus [s] Plotinus libellum condens
de triplici animę aſcenſu ad mundum intel-
ligibilem per tres calles, Amorem ſcilicet,
Muſicam, & Philoſophiam, videlicet in ani-
ma tres præcipuas facultates conſiderans, in-
tellectum, voluntatem, & ſenſitiuum appeti-
tum, optime cenſuit Philoſophiam attollere
partem intellectricem ad vnionem cum deo,
vt ſummo vero; amorem ſubleuare volunta-
tem ad eamdem coniunctionem cum deo,
vt ſummo Bono; at muſicam temperare ac
moderari partis ſenſualis affectus, vt ratio-
nali conſentiens vna cum ea vtcunq; eueha-
tur ad illud conſortium diuinum, & ad com-
merciū cum deo, vt cum ſummo ente quię-

ſcen-

ſcente;ſeu immobili, ac imperturbato. His conſentiens [t] Plutarchus ille multiſcius refert Euripidem recte incuſare eos, qui lyra vterentur ad vini potum: *erat enim muſica* inquit, *ad ſedandas iras luctuſq; potius vocanda quam ad eneruandum eos, qui iam ante erant in voluptate*. Et in opuſculo de [u] muſica cantum vſui eſſe in conuiuijs ex Homero conſtituit, eo quod animum reuellere, ac vim caloris vini mitigare valeret. In quam ſententiam etiam Ariſtoxenus noſter dixit, muſicam introductam in cœnas eſſe, quod ſicut vinum nimio ipſo vtentium & animos & corpora labefactat; ita muſica ſuo ordine & concinnitate in contrarium ſtatũ abducit, atq; ſedat. Ea igitur occaſione Homerus ait priſcos muſica tanquam remedio quodam vſos. Et reuera non alia ratione inducit Achillem in proprijs tentorijs lyra canentem, niſi vt iram ſibi leniret ob raptam puellam. Et in libro quem de Homero ſcripſit ait: Muſicam porro, quæ animo maxime conuenit, quatenus eſt concinnitas ex diuerſis temperata principijs, ac conti-

t. in coniug præc

u in f.

cantilena & numeris,cum relaxatum animū intendit, tum nimis intentū remittit, Pythagorici magnifecerunt,atque his prior Homerus. Et Ariſtoteles his cōſentiens [v] in Politicis
v.8.Poli. cap.5.
,, ait:An magis putandum eſt ad virtutē ten-
,, dere muſicā vt potentem,quemadmodum
,, Gymnaſtica tale aliquod corpus reddit; ſic
,, & muſicam talem aliquem morē efficere,
,, aſſuefacientem poſſe recte lętari:An ad de-
,, gendi rationem aliquid confert, & ad pru-
,, dentiam; nam hoc tertium ponendum eſt
,, ex his quę dicuntur. Quod igitur oportet
,, pueros non ſolatij cauſa diſcere manifeſtū
,, eſt;non enim ſolantur diſcentes, nam cum
,, labore eſt diſciplina. (*& multis adiectis*)
,, Rhythmorum enim alij morem continent
,, grauius, alij concitant, alij violentiores af-
,, ferunt motus, alij liberaliores. Ex his igi-
,, tur patet quod Muſica poteſt animi morē
,, aliquem facere: Quod ſi hoc poteſt Muſi-
,, ca, clarum eſt quod ad puerorum diſcipli-
,, nam eſt adhibenda, & in ea pueri ſunt in-
,, ſtituendi. *& mox:* & videtur cognatio quę-
,, dam eſſe nobis cū harmonijs & rhythmis;

qua-

„ quapropter multi ſapientum dixere, alij „ quidem Animam eſſe harmoniam, alij ve- „ ro habere harmoniam. [x] *& poſtea:* Quum „ illa probetur a nobis melodiarum diuiſio, „ quam faciunt quidam Philoſophi, quod „ alię ſunt morales, aliæ effectiuę, alię ab- „ ſtractiuæ, ponentes naturam earum ad ſin- „ gula iſtorum propriam: dicimus autem nõ „ vnius vtilitatis gratia oportere muſica vti, „ ſed multarum; nam & doctrinæ gratia, & „ purificationis (quid autem purificatio- „ nem intelligamus, nunc ſimpliciter, alias „ vero diligentius in his quę de Poetica ſcri- „ bimus, dicemus) tertia gratia degendi otij „ quietiſque cauſa, & remiſſionis curarum: „ Patet omnibus harmonijs eſſe vtendum, „ ſed non eodem modo: verum ad doctrinã „ quidem moralibus eſt vtendum maxime; „ ad eruditionem vero aliorum pulſante, ef- „ fectiuis & abſtractiuis; nam affectio illa, „ quæ contingit circa animos quorundam „ vehementer, in cunctis exiſtit: Differt au- „ tem ſecundum magis & minus, ceu miſe- „ ratio & metus, & præterea abſtractio ani-

x. cap. 7.

„ mi; nam per hunc motum deuoti, & ſuppli-
„ ces quidam fiunt. Videmus autem & ſa-
„ cris melodijs ita affici, quando vtuntur ex-
„ piantibus animam carminibus, quaſi me-
„ dicina fretis, & purificatione. Hoc idem
„ euenire neceſſe eſt ijs, qui commiſeratio-
„ ne, & qui metu, & qui alijs affectibus deti-
„ nentur, & alijs, quatenus cuique talia con-
„ tingant; fieriq; in omnibus purificationem
„ quandam, & leuationem cum voluptate.
„ *& paulo poſt:* Phrygia & Dorica harmo-
„ niæ concitant animos, & in affectus com-
„ pellunt. Doricam autem fatentur omnes
„ conſtantem eſſe ac firmam, moremq; ſum-
„ mopere continere virilem. Hæc omnia probe noſcens Optatianus noſter, inducit Fiſtulam dicentem, Pana docuiſſe ſe modulamine cantus Thyaſos Bacchantium moderari, modo furentes nimium eorum ſpiritus refrenando, modo nimium remiſſos impellendo.

ET VARIATA SONIS VINXIT CONSORTIA PRIMVS.

Sane PAN deus paſtorum primus fuit inuen
tor

tor Syringis inſtrumenti muſici; & primus, qui eius vſum adhibuit in orgijs Bacchi, cuius fuit amicus intimus, & comes fere perpetuus. De priori teſtis eſt Pauſanias in Arcadicis inquiens: Τρίτῳ δ' οὖν καὶ τὸ περὶ τὸ ὄρος τὸ Λύκαιον ἐςὶν ὄνομα Αχελῶος. τῆς Λυκοσέρας δὲ ἐςὶν ἐν δοξιᾷ Νόμια ὄρη καλέμενα, καὶ Πανὸς ἱερὸν ἐν αὐτοῖς ἐπὶ Νομίε, καὶ τὸ χωρίον ὀνομάζεσι Μέλπιαν. τὸ ἀπὸ τῆς σύριγγος μέλος ἐν ταῦθα Πανὸς ἑυρεθῆναι λέγοντες. hoc eſt:

Tertio huic ipſi Acheloo nomen eſt, qui præter Lycæum montem labitur: Lycoſuræ ad dexteram conſurgunt montes, qui Nomij dicuntur: eſt in illis Nomij Panos fanum. Vicum proximum Melpean (ac ſi Modulatricem dicas) *nominant, quod Fiſtulæ modos illic Pani primum excogitatos dictitant.* Ac ſane calamos ad ripas Ladonis, in quos amata Pani puella conuerſa fingitur, Pan accipiens plures diſpari magnitudine, numero quoq; diſpari, ſeptenario ſcilicet, cera eos in vnum iunxit, adeoque primus dicitur vinxiſſe colligaſſeque variata ſonis conſortia; conſortes calamos ob identitatem ſpeciei, aut ob ſortem fatumque puellę in eos transformatæ, aut etiam ob cõſonantiam, quam ſimul reddunt in harmo-

nia. *Variatæ vocis*, ob inæqualem eorum amplitudinem atq; menſuram, colligans ceræ glutine in vnum Fiſtulę muſicalis inſtrumentum. Quod etiam obſeruauit Virgi-
y. Eclo. 2 lius, [y] cui

,, Pan primus calamos cera cõiungere plures
,, Inſtituit. . . . .

z. 1. Metam. & ſuſius explicat [z] Ouidius inquiens:

,, Panaque, quum prenſam ſibi iam Syringa putaret,
,, Corpore pro Nymphę calamos tenuiſſe paluſtres.
,, Dumque ibi ſuſpirat, motos in arundine ventos
,, Effeciſſe ſonum tenuẽ, ſimilemq; querẽti;
,, Arte noua, vociſq; Deum dulcedine captũ
,, Hoc mihi conſilium tecũ dixiſſe manebit.
,, Atq; ita diſparibus calamis cõpagine ceræ
,, Inter ſe iunctis nomen dediſſe puellę.

De poſteriori ſententia rationem eam afferre lubet; quod quum Nonni teſtimonio in Dionyſiacis Pan fuerit Bacchi charus Amicus, aſſiduuſq; ſocius, & primus inuentor Fiſtulæ; probabile ſatis eſt eũ ante omnes alios

vſum

vſum Syringis in orgijs Bacchi adhibuiſſe; tum vt Bacchantes primum excitaret ac impelleret ad amici Dei laudes; tum vt nimium furentes deliniret, ac ſedaret impetuoſos; tum demum vt curſibus nimijs & inconditis feſſos recrearet variato ſoni modo.

ATTIS ALMVS AMANS TVA MAXIMA CVRA CYBELE.

Organi Syringis præſtantiam ac dignitatem nunc oſtendit Optatianus aſſerens hoc inſtrumento pridem vſos fuiſse viros inſignes, ac Heroes Diuoſq;, inter quos primus numeratur *Attis almus*, quem [a] Arnobius [b] Gyraldi relatu, & poſt eum [c] Macrobius in Saturnalibus, aſseuerat eſse Solem, ſiue Apollinem & Fiſtula preditum; inquit enim poſtremus hic: *Similiter Phryges fabulis & ſacrorum adminiſtrationibus immutatis, circa matrem Deum, & Attinem eadem intelligi præſtant: quis enim ambigat matrem Deum Terram haberi? Hæc Dea leonibus vehitur validis impetu ac furore animalibus, quæ natura cœli eſt, cuius ambitu aer continetur, qui vehit Terram: Solem vero ſub nomine Attinis ornant*

a. lib. 5. aduer. gen.
b. Synta. 4.
c. lib 1. cap. 21.

Fiſtu-

Fiſtula & virga. Fiſtula ordinem ſpiritus inæqualis oſtendit, quia venti, in quibus nulla æqualitas eſt, propriam ſumunt de ſole ſubſtantiam, ſcilicet [d] Ariſtotele doctore, naſcuntur venti virtute ſolis de terra ducentis exhalationem, vt ab Attine ſonus de Fiſtulæ poris pellente flatum: *Virga poteſtatem ſolis aſſerit, qui cuncta moderatur*. Hinc *Attis almus* cate nuncupatur, quia Sol lumine, caloreque ſuo viuifico creat, alit, augetq; cuncta terrena, ſtirpium ſcilicet, animaliumq; ſpeciatim genera vniuerſa; quod & Ariſtoteles inſinuat alicubi [e] ſcribens: *Accedente Sole fieri rerum generationes*; quia verno tempore ſtirpes omnes vbiq; locorum germinant, animaliaque ſingula fœtificant. Dicitur proinde *Amans*, quoniam vt Attis Cybelen, ita Sol Terram amare videtur, quam mirifice fouet, ac prolifico ſemine fœcundat: Quam ſententiam perſpicuis verbis attulit Ariſtoteles alicubi dicens [f] *Marem itaq; id animal dicimus quod in alio gignit; Fœminam, quod in ſeipſo: quamobrem in vniuerſo quoq; naturam Terræ quaſi fœminam matremq; ſtatuunt; cœlum autem,*

[d] 2. met. sũ. 2. c. 1. 26. Sect. probl. 34 & paſſim

[e] 2. de gen. t. 58

[f] 1. de gen. an. cap. 2.

&

& Solem, & reliqua generis eiuſdem nomine Genitoris patriſq; appellant. Apte quoq; ſcribitur ab Optatiano Attis eſse *maxima cura Cybeles*, quia Terra per Cybelem Deorum matrem ſuperius a Macrobio, & a poetis indicatur,& maxime a [g] Lucretio, cui g. lib.2.

„ Quare magna Deum mater, materque ferarum,
„ Et noſtri genetrix hæc dicta eſt corporis vna.
„ Hanc veteres Graium docti cecinere poetæ
„ Sublimem in curru bijuges agitare leones.
„ Aeris in ſpatio magnam pendere docentes
„ Tellurem, neq; poſse in terra ſiſtere terrã.
„ Adiunxere feras, quia quamuis effera proles
„ Officijs debet molliri victa parentum;
„ Muraliq; caput ſummum cinxere corona
„ Eximijs munita locis, quod ſuſtinet vrbes.

Terra inquam per Cybelem Deorum matrẽ indicata,Solem, ceu maritum, atq; amatum ſuum Attin deperire dicitur;vt a quo terrena cuncta gignuntur, & fouentur; quod etiam conteſtatur alibi [h] Philoſophorum ſummus h 1. metaſum. 4. cap.2.

in-

inquiens, Terrena omnia, ſpeciatimq; corpora plantarum & animalium, augmentum & decrementum habere propter Solis circuitionem.

E ROSEO TERIT ORE DEVS MOLLIQVE LABELLO.

Diuinitatem merito, & oris pulchritudinem iure nunc Attidi tribuit Optatianus, qui Attinem cum Macrobio didicerant eſse Solem, quem inter deos priſca Gentilitas pręcipuum & pulcherrimum coluit: eiq; Syringis vſum
i. Eclo. 2 Publilius conceſſit [i] Virgiliana phraſi, apud quem Coridon paſtor Alexin amatum orat, Ne ſe pœniteat calamo triuiſse labellum:

,, Mecum vna in ſyluis imitabere Pana canendo:
,, Pan primus calamos cera coniungere plures
,, Inſtituit; Pan curat oues, ouiũq; magiſtros:
,, Nec te pœniteat calamo triuiſse labellum:
,, Hęc eadem vt ſciret, quid non faciebat Amintas?
,, Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis

,, Fi-

„ Fiſtula, Damœtas dono mihi quam dedit olim,
„ Et dixit moriens: Te nunc habet iſta ſecundum.

Quę faciunt etiam mirifice ad Fiſtulę dignitatem comprobandam, vt puta Muſæ paſtoralis, poeticeſq; ruſticanæ, quam primus coluit Heſiodus, Damætæ nomine tectus, & ab eo doctus, eumq; ſecutus & imitatus Virgilius ſecundus, Coridonis vocabulo velatus. Cęterum ſcite Porphyrius nunc Apollini ſub Attinis voce deliteſcenti Syringam attribuit ea ratione, qua Phœbus cithara pſallēs olim ſuperauit Pana Fiſtula canentem iudicio Tmoli, vt conſtat ex [k] Ouidio ſcribente: k. 11. Metamorp.

„ Pan ibi dum teneris iactat ſua carmina Nymphis,
„ Et leue cerata modulatur arundine carmen,
„ Auſus Apollineos præ ſe contemnere cantus,
„ Iudice ſub Tmolo certamen venit ad impar:
„ Monte ſuo ſenior iudex conſedit, & aures

„ Liberat arboribus ; quercu coma cœrula tantum
„ Cingitur,& pendent circum caua tempora glandes.
„ Iſq; Deum pecoris ſpectans, in iudice dixit
„ Nulla mora eſt : calamis agreſtibus inſonat ille.
„ Barbaricoque Midan (aderat nám forte canenti)
„ Carmine delinijt : Poſt hunc ſacer ora reſoluit
„ Tmolus ad os Phœbi , vultum ſua ſylua ſecuta eſt :
„ Ille caput flauum lauro Parnaſſide vinctus
„ Verrit humū Tyrio ſaturata murice palla,
„ Diſtinctamq; lyram gemmis , & dentibus indis
„ Suſtinet a lęua , tenuit manus altera plectrum :
„ Artificis ſtatus ipſe fuit ;tū ſtamina docto
„ Pollice ſollicitat: quorū dulcedine captus
„ Pa na iubet Tmolus citharæ ſummittere cannas.
„ Iu diciū, ſanctiq; placet ſententia montis

„ Om-

„ Omnibus : arguitur tamen, atque iniuſta vocatur
„ Vnius ſermone Midę : nec Delius aures
„ Humanam ſtolidas patitur retinere figuram,
„ Sed trahit in ſpacium, villiſque albentibus implet,
„ Inſtabileſq; illas facit,& dat poſſe moueri;
„ Cætera ſunt hominis, partem damnatur in vnam,
„ Induiturq; aures lente gradientis Aſelli.

Attini ergo, ſeu Apollini, qui Panem ſuperauit Fiſtula canentem, decenter attribuitur Syrinx, in tropheum ac ſignum ſuę victoriæ, qua prælatus eſt illi Deo, qui Fiſtula Nymphas in ſyluis demulcebat; nam victores victorum exuuijs induebantur; ſic Hercules incedebat indutus pelle Nemæi leonis ferociſſimi a ſe interempti: Sic Turnus ornabatur Balteo Pallantis a ſe interfecti; licet hoc ornamentum illi ab Aenea mortem extorſerit, vt belle cecinit Virgilius, apud [l] quem Turnus ab hoſte ſtratus Aeneam precibus ad miſericordiam flectere l.12.Aen.

H 2 „ Cœ-

,, Cœperat infelix, humero quum apparuit alto
,, Balteus, & notis fulſerunt cingula bullis
,, Pallantis pueri , victum quem vulnere Turnus
,, Strauerat, atque humeris inimicum inſigne gerebat.
,, Ille, oculis poſtquam ſęui monimenta doloris
,, Exuuiaſq; hauſit, furijs accenſus, & ira
,, Terribilis, Tune hinc ſpolijs indute meorũ
,, Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
,, Immolat, & pœnam ſcelerato ex ſanguine ſumit.
,, Hoc dicens , ferrum aduerſo ſub pectore condit
,, Feruidus; aſt illi ſoluuntur frigore mẽbra,
,, Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub vmbras.

ACCENDITQVE TVOS IDAEOS MATER AMORES.

Opin ſignificat magnam Deorum matrem, quę Cybeles & Berecynthia dicebatur, & m. lib 2. mater Idæa, vt cõteſtatur [m] Lucretius, quod ex

ex Idæ regionibus fruges in vniuerſam terrã primo manauerint, ait enim :

„ Hanc variȩ gentes antiquo more ſacrorum
„ Idæam vocitant matrem, Phrygiaſque catervas
„ Dant comites, quia primum ex illis finibus edunt
„ Per terrarum orbem fruges cœpiſſe creari.

De Amore Cybeles, quo Attidem deperijt, notiſſimam fabulam ſilentio lubet prȩterire, ſat habentes [n] Diodorum citaſſe, qui paulo aliter ac cæteri narrauit illam inquiens : *Cybele prouecta ætate adoleſcentem quemdam eius regionis Atym nomine dilexit, quem poſtmodum dixerunt Pappan, cum eo clam coiens grauida facta eſt : Quod vt parentes norunt, in regiam accitam, vt virginem pater ſuſcepit, noto filiæ peccato, et Atym & nutrices interfici iuſsit, atq; inſepultos abijci. Cybelen tum Atys amore, tum dolore nutricum perculſam, inſanam effectam in publicum prodijſſe ferunt, pſallentemque cum tympano, ſolam per vniuerſam patriam ſparſis capillis deambulaſſe.* Quam Diodori ſentẽtiam retulit etiam Viues apud

n. lib. 4. geſt. antiq.

Diuum

o lib. 2 cap. 4. in comm.

Diuum Auguſtinum in opere de [o] ciuitate Dei. Licet aliter hanc fabulam recitet ex Damaſcio, mutante nomina Cybelis in Aſtronoen, & Attidis in Eſmunum, eruditiſſi-
,, mus I. Seldenus agens de Dijs Syris; cui Se-
,, duci filium octauo genitum ab Aſtronoe
,, Dea Phœniſſa ſcribit Damaſcius adama-
,, tum: Aeſmunus is dictus eſt; quem Aeſcu-
,, lapium, ait ille, interpretantur: venanti in-
,, ſidiata eſt Dea; fugit iuuenis; & quum Dea
,, iam iam comprehenſura eſſet, genitale
,, membrum ſibi amputauit. ἡ δὲ, inquit Da-
,, maſcius, τῷ πάθει περιαλγήσασα, καὶ Παιᾶνα καλέσασα τόν νεανίσκον τῇ τε ζωογόνῳ θέρμῃ ἀναζωπυρήσα. θεὸν ἐποίησεν Ἔσμυνον ὑπὸ φοινίκων ὠνομασμένον ἐπὶ τῇ θέρμῃ τῆς ζωῆς. οἱ δὲ τὸν Ἔσμυνον ὄγδοον ἀξιοῦσιν ἑρμηνεύειν. hoc eſt, *Aſtronoe vero caſu afflicta, Pœana iuuenem vocauit, eique genitalem calorem reſtituit, et Deum fecit, qui Phœnicibus Eſmunus ob genitalem calorem dictus: alij vero Eſmunum octauum ſignifica-*
,, *re exiſtimant*. Sane Ebraice *Haſmini*, quod
,, facile in Eſmunum migret, *octauus* eſt: &
,, ſic nominatus eſt, quod octauus Saduci fi-
,, liorum in lucem fuerit editus. Aſtronoen

autem

z ſyne c. 2. in f.

autem Matrem Deorũ diſerte appellat Damaſcius. Vtcumque ſit, Eſmunus hic, quod venator eſſet, fiſtula delectari potuit; quę Panis venatorum Dei recte celebratur inuentum; & quod inter Deos ab Ethnicis relatus fuerit, Syringę dignitatem vſu potuit ampliare. Sed præſtat hanc Eſmuni fabulam diligentius explicare: certe, quod ait ipſe Damaſcius, Eſmunus Aeſculapius ſi ſit, iam hic Apollo fuerit, ſiue Sol; nam vt inquit Macrobius, *Hinc eſt quod ſimulachris Aeſculapij et Salutis draco ſubiungitur, quod hi ad Solis naturam Lunæque referuntur: & eſt Aeſculapius vis ſalubris de ſubſtantia Solis ſubueniẽs animis corporibuſque mortalium; Salus autem naturæ Lunaris effectus eſt, quo corpora animantium iuuantur ſalutifero firmata temperamento. ideo ergo ſimulacris eorum iunguntur figuræ draconũ; quia præſtãt vt humana corpora velut infirmitatis pelle depoſita ad priſtinũ reuireſcant virorem, ut vireſcunt dracones per annos ſingulos pelle ſenectutis exuta; propterea & ad ipſum Solem ſpecies draconis refertur, quia Sol ſemper velut a quadam imæ depreſſio-* 1 Satur. cap. 20.

nis

nis ſenecta in altitudinem ſuam vt in robur reuertitur iuuentutis: Eſſe autem draconem inter præcipua Solis argumenta etiam nominis fictione monſtratur; quod ſit nuncupatus ἀπὸ τοῦ δέρκειν, *ideſt videre; nam ferunt hunc ſerpentem acie acutiſsima & peruigili naturam ſideris huius imitari; atque ideo ædium, adytorum, oraculorum, theſaurorum cuſtodiam draconibus aſsignari. Aeſculapium vero eumdem eſſe atque Apollinem, non ſolum hinc probatur quod ex illo natus creditur; ſed quod ei & ius diuinationis adiungitur; nam Apollodorus in libris quibus titulus eſt* περὶ θεῶν, *ſcribit quod Aeſculapius diuinationibus & augurijs præſit; nec mirum; ſiquidem atque diuinationum conſociatæ ſunt diſciplinæ; nam Medicus vel commoda, vel incommoda in corpore futura prænoſcit; ſicut ait Hippocrates oportere Medicum dicere de ægro* τάτε παρέοντα καὶ τὰ προγεγονότα, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι, id eſt

„ Quę ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura ſequentur.

quod conuenit diuinationibus, quæ ſciunt τάτε ὄντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

Por-

Porro Saduci filius octauus ab Aſtronoe dea Phęniſſa dicitur adamatus; quia Aeſmunus hic appellutus nomine proprio Aeſculapius, qui Sol, & Apollo eſt, adamatur a Matre Deum Cybele, quæ Aſtronoe dicta Terra ipſa eſt Lucretio; nam Ariſtoteli Terra erga cęlum ac Solem potiſſimum ſe habet, ceu femina coniux erga maritum; quem appetit, & amat. Dicitur autem Aeſmunus ideſt octauus, quia quum veteribus octo tantum ſphęræ cæleſtes agnoſcerentur, vnamquamque illarum ad ſeptem reliquas comparatã appellare poterant octauum: iuuenis dicitur Aeſmunus quia Sol fingebatur imberbis adoleſcens: venator, quia radijs veluti iaculis ferit venatorum more: fugit, quia veloci motu circa terram procul ab ea ſemper currit: comprehendere illum Terra fere dicitur, dũ eius radios refrangit, reflectitque prope ſe, quorum refractione ſic illuſtratur, vt veluti altera Luna Soli coniuncta procul aſpicientibus mirifice ſplendida micet: Sol autem genitale membrum ſibi dicitur amputare, quia ſuos radios in refractione, reflexioneq;

lib. . .

Macrob. 1. ſat. ca. 17.

velut a ſe diuidere videtur; quibus radijs reflexis calorem genitalem rerum noſtratium proijcit. Terra radijs illis refractis in ęſtate multum arefacta, & ſucco priuata dicitur afflicta, quia veluti ſqualida languere videtur. Vocauit autem iuuenē Pæana, hoc eſt Medicum & Apollinem; vt notat Ariſtoteles: 3. rethor. Terra vero Soli calorem genitalem reſtituit, quia radios refractos in ipſum veluti reuibrans, ei reſtituere videtur, quod ille ab ſe proiecerat: & ipſum dicitur efficere Deum; quia Dei nomine donabatur ab Antiquis quicquid beneficia quomodocumque conferebat; vnde Plinio Deus eſt iuuare mortalē; antiquitas enim nihil aliud exiſtimabat eſſe Deum, quam prodeſſe mortalibus: quum itaque Sol nobis proſit ſolo lumine, & calore genitali, ac viuifico; lumen autem Solis, & calor genitalis intendatur, & maxime prope nos efficiatur a terra iubaris radios refrangēte ac reflectente; nam in altiſſimo aere, vbi reflexio non peruenit, lumen inadſpectabile, ac infirmum eſt ſine calore; propterea Terra, quę Cybele vocatur & Aſtronoe, recte dici-

tur

tur amato ſuo iuueni Aeſmuno, qui Sol eſt, tribuere calorem genitalem, ac Diuinitatē. Sic igitur Aeſmanus, & Attis Matris Deorum deliciũ eſt Apollo, qui Paſtorum Deus, vt Magiſtrum habuit Pana teſtimonio Apollodori in arte vaticinandi, eiuſdem conſuetudine fiſtulam inflare conſueuiſſe probabile ſatis eſt; quinimmo veteres vt Solem ſignificarent exhibere lumen ſex alijs planetis, & inſuper firmamenti ſideribus, Attidi, ſeu Aeſmuno Syringam ſepticannem dederunt, quaſi ſeptem alios orbes lumine ceu ſpiritu perficienti. Quare fiſtulę nobilitatem maxime celebrat, quod eius vſum coluiſſe Deos oſtendit Publilius. Quin & Antiquiores, vt indicarent Attidem delectatum fuiſſe Syringe. fingere conſueuerunt inſtrumentum paſtoriciæ fiſtulę ſuſpenſum Pinui, vt antea quoque notauimus, quaſi ſuſpensũ lateri Attidis, quem in Pinum conuerſum fabulatur Ouidius, cui

Virg. ec. 5. & 1. Georg. Mythol. l. 4. c. 10. lib. 1.

10. meta.

Et ſuccincta comas, hirſutaque vertice Pinus
Grata Deum matri: ſiquidem Cybelius Atys
Exuit hac hominem, truncoq. indurait illo.

Initiorum Cybelis & Attidis : Nimirum [p] Gyraldus ex Diodoro Cybelem primam inueniſſe ſtatuit Fiſtulam calamis compactam,& cymbalum tympanumque; quum tamen multo pluribus & maioris autoritatis Autoribus Fiſtulę ſtructura in Pana primum referatur : Sed fortaſſis Optatianus vtriuſq; huius opinionis rationem habere voluit , Pani ſubnectens Attiden . Qui quidem carmina dicitur animaſſe in Fiſtula, reddidiſſeque Muſas felices, eo quod Fiſtulam carminibus velut animauerit , carminaq; fecerit eſſe velut animam Fiſtulæ , quę de ſe inanimis muta eſt , at inſpirata carminibus, velut animatur denuo Syrinx : & quia Syringem hanc inflant metra ſapientiæ , vt olim a Theocrito didicit Optatianus; ſapientia vero eſt humana felicitas, vt [q] Ariſtoteles, & ex Ariſtotele Stoiciſq; [r] Cicero comprobauit ; ideo carmina dicuntur Muſę felices : Attis ergo inſpirans cicutam carminibus ſapientię,dicitur in Syringe animare carmina muſas felices . Niſi dicamus etiam illa carmina , quæ animabat inſpirans Attis in Fiſtula, felices Muſas

p. Synta. 4.

q. 10. Eth.-ca.7.8

r. Paradox. 2.

ſas appellari a Publilio, quia forent carmina ſacra & diuina; vtputa ſacro diuinoque Berecynthiæ cultui & amori dicta, dictata, dicataque; quum res diuinę ac ſacrę habeantur felices, non reclamante [s] Ariſtotele; qui ſequitur verſus lege metrica talis eſſe debet s.10. Eth, cap. 8.

„ *Me formæ iudex alta geſtauit in Ida.* Licet in orthographo legatur,

ME IVDEX FORMAE ALTA GESTAVIT IN IDA.

Non ſolum PAN Deus paſtorum, & Attis Deæ magnæ dilectus, & ipſe diuinis cultus honoribus; ſed etiam Heros ille Priami filius à Ioue dilectus olim iudex formę Iunonis, Palladis, & Veneris, trium Dearum de pulchritudinis excellentia contendentium, dum paſtoralem vitam ageret in Ida monte maritus Oenones Nymphę, regius paſtor fiſtulam geſtaſſe ac inflaſſe dicitur ab Optatiano; quod conteſtatur tum [t] Euripides Helenam inducens talia dicentem. t. in Hel.

„ Te inuocaui, & te iurando ſum obteſtata,
„ Humidum locum arundineris
„ Eurota, mortuo *ſcire cupiens*

„ Si

,, Si vera eſt fama hęc de viro meo. *Non ſi mortuus eſt*,

,, Quid hæc abſurda *cenſebuntur*?

,, Præbebo collum ſuſpendio lethali,

,, Aut plagam enſe cædes faciente enſe necis aperto gutture ſanguinem mittentis,

,, Propria manu ferrum tractans in *guttur* adigam per carnes, *ego qua fui* certamen, &

,, Victima tribus Deabus *propoſita*, quando Fiſtula canens,

,, *Meam formam* celebrabat Priameia *Paris* olim apud ſtabula

tum etiam Coluthus Lycopolita raptum Helenę concinens, cuius carmina videtur hic inſinuaſſe Publilius: Ea vero ſic habent:

,, Paris autem iuuenilem agens ętatem, paternas oues paſcebat,

,, Paſcens vtrimq; apud oſtia Anauri,

,, Seorſum tum gregem congregatorum numerabat,

,, Seorſum tum paſcentium ouium gregem dinumerabat.

,, Et ponè aliqua pellis chimęrę in montibus ſtabulantis

,, De-

„ Dependens ſuſpenſa fuerat : ipſaq; tangebat ſtabulantis
„ Paſtoralis vero virga boum expultrix ſubiacebat.
„ Talis quum eſſet, Fiſtula ad conſueta *loca* ſolus procedens
„ Agreſtem *ac* ſtridulam arundinum cantionem perſequebatur
„ Sæpe etiam in ſtabulis ad oues verſis canens,
„ Et tauros neglexit, & ouiũ curam nõ geſſit,
„ Inde habens Fiſtulam, & paſtorum bonas manſiones
„ Pani, ac Mercurio amicum cantum in longum ducebat:
„ Non *tum* canes vlulabant , & tauri non mugiebant,
„ Sola vero, quum ventoſo clamore ſit, & indocilis
„ Idæis montibus viciſſim ſonans ſonabat Echo.
„ Tauri vero in alto viridi ſaturati herba,
„ Reclinati ſuper genua grauantem coxendicem cubabant,

Hic

,, Hic ſub edito virgultorum tegmine

,, Argute ſonans eminus Mercurium internuntium vidit.

,, Metuens autem exilijt: Dearum enim fugiebat conſpectum.

,, Et quum chorum beneſonantium arundinum in virgultis intactum reliquiſſet,

,, Nondum multum defagitatam interrumpebat cantilenam.

,, Metuentem autem taliter affabatur Deo ſimilis Mercurius;

,, Vt metum abiecisti, & greges pulchros dimiſiſti,

,, Adeſdum ius cœleſtibus dixeris iudicando:

,, Huc adſis dijudicans prę́ſtantiorem faciē ſpeciei,

,, Nitidiori hoc malum , amabile germen præbueris.

,, Tale proloquutus eſt: Ipſe vero quum placidum oculum intendiſſet,

,, Leniter dijudicare conatus eſt cuiusq; pulchritudinem.

Sed quem iudicem formæ pudicus poeta Por phyrius appellauit, eumdem Parin libidinis iudi-

iudicem Satyricus Petronius nuncupare maluit. *Ipſe Paris*, inquit, *Dearum libidinantium iudex ſi hanc in comparatione vidiſſet tã petulantibus oculis, & Helenen huic donaſſet, & Deas.*

ME LAETI SOCIAM VOTI VICINA MARITO

EOO LVCIS CANIT INVITATA SVB ORTV.

Scilicet dum Paris paſtor agens leues Fiſtulæ calamos inflaret, Oenonæ Nymphæ, ſocię lęti voti, iucundi nempe deſiderij ſeu Amoris, ſeu verius canendi concors, vicina iunctaq; marito Paridi ab eo tibias inflaturo Syringis, ad canendum inuitata ſub ortu Eoo, dum in Aurora, vel exoriente matutino ſole greges a ſtabulis ad paſcua ducerent; Fiſtula inquit ſe ſociam habitam fuiſſe ab Oenone nympha vicina marito ſuo Fiſtulam inflanti, & canenti, a quo ad paſcua ſummo mane inuitata fuerat. Sic ad [u] Virgilium Mopſo Fiſtulam inflante Menalcas ad eam canabat in Daphnide. u. Eclo. 5

„ Cur nõ Mopſe (boni quoniã conuenimus (ambo

K „ Tu

,, Tu calamos inflare leues, ego dicere verſus)

,, Hic corylis miſtas inter conſedimus vlmos?

Ita ergo probatur Syrinx eſſe nobile inſtrumentum, quoniam eam inflare dignatus fuerit non ſolum Pan Deus paſtorum, primus ipſius inuentor, & Deum matri Cybeli dilectus Attis etiam in deorum numerum ab antiqua gentilitate relatus; ſed etiam regius paſtor, & Heros Paris diuinæ pulchritudinis iudex quondam cœlitus electus, & ad eam canere conſueuit Oenone Nympha Paridis vxor. Quæ nobis ad explicationem huius poematij Publiliani occurrebant adnotanda.

De poematio Sphæræ, propoſitis Technometris conſimili. Cap. III.

PRæter Aram, Securim, Adulam, Ouum & Syringam, quæ poematia vetuſta iam in Encyclopędia nos explicauimus, tria vel quatuor celebrantur apud autores

alia

alia vetuſtiſſima carmina conſimiliter in genere figuratorum annumeranda, quorum vnum Sphęræ nomine donatum eſt, altero Throni vocabulum impoſitum. Tertij nomenclatura fuit Labyrinthus, quartum appellamus Peplum, ſiue Pallum. Porro Sphæ-rę poema retulit Euſtathius in Orpheum autorem, aſſeritque tale metrum ab Orpheo conditum fuiſſe dudum in honorem Lini vatis antiquiſſimi. Qua de re duplex teſtimonium legimus apud inclytum Salmaſium in ſuis [a] notis ad Fiſtulam Theocriti, Interpretis Hephęſtionis nimirum, & Euſtatij. Sane interpres Hephæſtionis hęc habet. σύγγραμμα ὁ πέλεκος ἐπεὶ κατὰ μίμησιν πελέκυος συντέθειται. μακρὰν γὰρ ἑκατέρωθεν τέθεικεν. ἐςὶ δὲ σφαῖρα καὶ θρόνος σύγγραμμα καλȣ́μενον. ideſt: *Inſcriptio Securis, quandoquidem ſecundum imitationem Securis componitur; longam enim vtrimque ſtatuit. Eſt vero Sphæra, & Thronus inſcriptio vocata.* Euſtathius vero paulo magis explicat naturam huius Idylij, cui Sphęrę nomen datũ eſt ab Autore ſuo dicẽs: ὠνόμαςαι δὲ Λῖνος τὸ τοιȣ̃τον ᾠδικὸν εἶδος, ἢ ὡς μετὰ λίνȣ ἤτοι χορδῆς ᾀδόμενον, ἢ ἀπὸ τινος Λίνȣ ἀνδρὸς ἥρωος. φασι γὰρ οἱ παλαιοὶ ποιημά-

a. ad calcem.

τιον ἐπὶ τῶ Λίνω ἔναι, ὅ σφαῖρα μὲν καλεῖται, ἐις Ορφέα δ' ἀναθέρεται. hoc eſt: *Vocatur vero Linus huiuſmodi muſica ſpecies, vel quod cum lini chordis canatur vel ab aliquo Lino Heroe: dicunt enim antiqui poematium de Lino exiſtere, quod Sphæra quidem vocatur, in Orpheum vero vulgo fertur.* Fortaſſis de hoc poematio ſub nomine Cycli meminit Themiſtius obſeruatu [a] Gyraldi, dum agens de Technopægnijs, quę ipſe interpretatur ludicra poemata, ſed multa arte compoſita, inquit: *eſt & quod Cyclon vocant, cuius & Themiſtius meminit, multi verò talia carmina cecinerunt, inter quos & Homerus.* Quo quidem Idyllio Sphærę, quum ab autoribus nihil aliud habeamus, nec vllam eiusi maginem vnquam viderimus, nec eius interpretationem, nec vlla ipſius imitamenta proponere valemus.

a. dial. 1. de hiſt. poet.

De

De antiquorum poematio Throni nomine donato. Cap. IV.

COnſimiliter aliud figuratum carmen apud antiquos fuit nomine Throni; de quo meminit eodem in loco doctiſſimus Salmaſius inquiẽs: *Præter hæc* παίγνια, ludicra poematia nũcupat, *quæ vulgata sũt, et a nobis expoſita,* σφαῖραν Sphęrã & θρόνον, Thronũ *citãt veteres Grãmatici, quæ ad nos nõ peruenerunt*, ἀπό τοῦ σχήματος, a ſchemate ſeu figura *ita appellata, vt hæc Fiſtula Theocriti, et Ouum Simmiæ, & Ara Dioſiadæ cum reliquis. Interpres Hephæſtionis*, συγγραμμα, vt nuper etiã vidimus, ὁ πέλεκος. ἐπεὶ κατά μίμησιν πελέκυος συντέθειται· μακρὰν γάρ ἑκατέρωθεν τέθεικεν, ἔσι δὲ σφαῖρα καὶ θρόνος σύγγραμμα καλούμενον. repeto: *Inſcriptio Securis quandoquidem ſecundum imitationem Securis componitur, longam enim vtrimq; ſtatuit: Eſt verò Sphæra & Thronis Inſcriptio vocata.* Cuius etiam Idyllij quum nihil aliud quam nomen ab antiquis habeamus, nos in eius explicationem, aut imitationem nihil afferre potuimus.

De

De vetuſto Idyllio Labyrinthi vocabulo inſignito. Cap. V.

SEd & apud eumdem eruditiſſimum Salmaſium tertij figurati carminis mentionem ibidem habemus in hac verba: *Videor etiam alicubi legiſſe*, λαβύρινθον εἶδος ποιήματος, ideſt, *Labyrinthum ſpeciem poematis fuiſſe, in modum Labyrinthi compoſitum. Atq; hæc hactenus*. Cuius epigrammatis qui nihil aliud agnouimus; quique hac in re ſtructuram illius, aut argumentum hariolari nequimus, nullam explicationem aut imitationem adducere potuimus; auſi enim non ſumus Scaligerum omnia audentem imitari, qui audito ſolum Oui poetici nomine, non inſpecta illius figura, nec etiam lecto ipſius argumento, duo ſibi confinxit, ſeu mente ſua peperit Oua, quorum alterum exiguum Philomelæ, grandius alterum Cycni nuncupauit, quæ nos olim in Encyclopædia † ad Ouum Simmię Rhodij ſine ſucco & hypenemia eſſe notauimus.

† cap. 9.

De

De Peplo, ſeu Pallio, Ariſtotelis tertij poemacio. Cap. VI.

LIlij Gyraldi [a] Poetarum hiſtoriam contexentis animaduerſione, & longe vetuſtiori Euſtathij teſtimonio, *Porphyrius autor eſt, & ab Ariſtotele commentarium ſcriptum, cui titulus Peplus; in quo Ducum, qui in bello Troiano fuere, Genealogias complexus eſt; ſed & nauium nnmerum, quin & in eos ipſos duces ſingulos epigrammata, diſticha adſcripſit, vno excepto Aiace.* cuius operibus nunc ſola epigrammata proſtant a Gulielmo Cantero latine verſa, & annotationibus illuſtrata. *Hæc quidem* [b] ait, *epigrammata ſerio ac firmiter Ariſtotelis cuiuſdam libri fragmentum eſſe aſſero, neque id infirmis rationibus me probaturum confido: Euſtathius etenim Homeri interpres, vel potius interpretum concinnator in expoſitione verſus Boetiæ*

Aſt Aiax bis ſex puppes Salamine ferebat.

teſtis eſt Porphyrium ſcribere, Ariſtotelem in-

a. dial. 5.

b. epiſt. ad Lect.

ter

ter cæteros commentarium quemdam Pepli nomine edidiſſe, in quo et Genealogias Principum Homericorum, ac nauium a ſingulis adnectarum tradiderit; & in ipſas epigrammata ſimplici ſtylo, neque tumidum vel inflatum quicquam habente conſcripſerit: atque ita, quod idem Euſtathius alibi dicit ex tenui tela multiplex Homericæ poeſeos peplum confecerit. De hoc Peplo hoc nobis epigrammata duntaxat reſtare video, reliquis iniuria temporum deperditis, adeoque per Porphyrium, quem in ſuis commentarijs eadem deſcripſiſſe tradit Euſtathius, ad nos translata, ex eiuſque libris, poſtquam illi nunc quoque perierunt, olim deſcripta credo. Jam quod eſt argumentum certiſsimum, ſcripſerat idem Porphyrius Ariſtotelis epigrammata ſingula binis verſibus conſtare, excepto quodam quod in Aiacem eſſet compoſitum: quod quidem Euſtathius totum ex Porphyrio recitat. Sed hoc opus Pepli Patricius in ſuis [d] Diſcuſſionibus Peripateticis putat eſſe non ſummi Philoſophi Stagiritæ, verum alterius Ariſtotelis tertio loco a Diogene [e] Laertio numerati, quem ait Iliadem

d. tom. 1. li. 4. in f.

Ho-

Homeri conſcripſiſſe: Quum tamen Ariſtotelis Peripateticorum Principis alium librum nomine Pepli cognoſcat idem [f] Patricius: cui Nicephorus in Eccleſiaſtica [g] Hiſtoria Peplum vti noſtri Præceptoris Ariſtotelis librum commemorat his verbis: *Sed ad eam rem cuiuis quamprimum cognoſcēdam ſuffecerit Ariſtotelis Peplum, Dionyſij corona, πολυμνήμων Rhegini liber, & turba poetarum, qui rebus ipſorum expoſitis, deliramenta potius & nugas, quam Theologiam poſteris reliquere.* Quo Peplo non Duces Gręcorum, nec nauium Pelaſgarum numerum, ſed res ad deos attinentes Ariſtoteles ceciniſſe dicitur. Eiuſdem Ariſtotelici Pepli, ſub Pallij vocabulo mentionem quoque facit Caſſiodorus in Hiſtoria [h] tripartita, conſtituens Ariſtotelis Pallium continere Theologiam antiquorum. *Sed ſufficit*, ait, *hæc ſcire volentibus Ariſtotelis Pallium, & Corona Dionyſij, & liber Rhegini multæ memoriæ, turbaq; poetarum, qui de talibus ſcribentes, ridiculum & inanitatem Theologiæ oſtendere Paganorum.* Quod ſane Pepli aut Pallij nomine

f. tom. 1. li. 4. in f.
g. lib. 10. cap. 86.
h. lib. 4. cap. 2.

L dona-

donatum poematium de rebus Theologicis carmina continens, probabile ſatis eſt ab Ariſtotele, non temere ſuos libros inſcribente, a figura poemati ſuo indita denominatum fuiſſe, ſiue totum opus, ſiue ſingulas eius partes præcipuas extenſi Pepli, ac dilatati Pallij figura donauerit Ariſtoteles: cuius figuræ nos in ora Lyguſtica orientali rus in oppido Rechi paternum habemus a natura conditum, in quo domus in apice cum vineto contermino vtrimque veluti collare format, indeque olíueta ſenſim ſine ſenſu dilatantur in gyrum; cuius denique lymbum, ſeu fimbriam terminat Faſcicula nuncupata caſtaneti nemoralis deliciosiſſima; vt hic artem natura videatur æmulari voluiſſe. Ceterum, nec huic Peplo nos autorem damus Ariſtotelem illum ſummum Philoſophum Stagiriten; ſed aliũ quempiam ex illis pluribus à [i] Laertio numeratis, vt alibi [k] late diſquirimus.

i. In vita Ariſt.
k. de pie. Ariſt. c. 3

Pe-

Peroratio totius operis. Cap. VII. & poſtremum.

HIC ergo Muſarum ſuauiorum quies atque ſilentium iam ſit, ſeueriori Minerua noſtras contemplationes ad ſe reuocante. Qua quidem in Encyclopædiæ totius, octonis voluminibus comprehenſæ, meditatione ſi quid a veritate diſſentaneum excidit e calamo, illud omne imbecillitati mentis meæ, facile in adeo tenebricoſo carminum genere cæcutientis, non ſine venia ab æquo iudice adſcribatur. Sin autem veritati conſentanea mihi promulgare licuit, gratię perennes Diuo Ioanni Euangeliſtę habeantur, cuius interceſsione ab immortali Deo nobis in obſcuriſsimis antiquorum monumentis præclarum lumen veritatis affulſit; & omnia bene a nobis dicta (vtinam cum Steſichorio monumento, ἀπαντοκτὼ, *omnia octo* ſic perfecerimus, vt huic obſcuro veterum ſcribendi generi declarando nihil amplius deeſſe videatur eruditorum

Reipublicę) in vnum ſummum Deum referantur, a quo nobis omnis veri cognitio prouenit. Cui laus & gloria ſit in ęternum.

Patauij. in Muſęo noſtro. ipſo die noſtro natali. v. Non. Octob. M DC XXVIII.

F I N I S.

Præſens opuſculum, cuius titulus eſt, *Encyclopædia ad Syringam Porphyrij. Excellentiſs. D.D.* F O R T V N I I *L* I C E T I *Genuenſis In Patauino Gymnaſio Philoſophi ordinarij*. Cuius eſt initium, *In Syringis poematio &c.* & finis, *in æternum*. Chartarum in fol. 18. fuit pro impreſſione Patauij approbatum.

Ita eſt ergo Fr. Antonius a Lendenaria Inq.^r Generalis Paduæ.

{ *Girolamo Soranzo K. Proc. Ref.*

Girolamo Cauazza Secr.

INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

Achelous labitur præter Lyeæum montem. 51
Achilles iratus cur lyra caneret in tentorijs. 47
Acumen ſoni ſequitur fiſtulæ decrementum grauitas augmentum. 22
Aeneas cur Turnum ſupplicẽ occiderit. 59
Aer ſublimis friget, nec fulget, & cur. 66
Aeſculapius idem atque Apollo. 64 ius diuinationis habet. 64 vt ſit vis Solis ſalutifera. 63
Amor ducit animam ad Deum vt ad ſummũ bonum. 46
Anima aſcendit ad mundum intelligibilem per tres calles Plotino. 46 quot, & quas habeat facultates præcipuas. 46 irrationalis vt rationali pareat efficit Philoſophia, & Muſica. 45. 46 habere harmoniã cur dicatur a ſapientibus. 49 fiſtulæ quæ ſit. 68 ſentiens magis abſoluitur a corpore quam vegetalis. 23 vegetalis vt ſit ſubſtantia incorporea. 23
Apollo magiſtrum habuit Pana in arte vaticinandi. 67 vicit Pana in arte canendi. 57
Arcades primi hominum e terra nati credebantur. 18 vt cum quercu cognationem habeant. 18
Ariſtoteles ait muſicã tendere ad virtutẽ. 44
Artificiũ Syringæ Porphyrij in quo conſiſtat. 17
Attis cur almus. 54 cur amans. 54 cur maxima cura Cybeles. 55 cur fiſtula præditus. 53. 54 cur ſeptic anni fiſtula donatur. 67 cur ore pulcher, & Deus Optatiano. 56 cur dictus Eſmunus. 61 eſt Sol. 53. 54 in Pinum verſus. 67 Pappa dictus. 60 ſingulariter explicatus a Damaſcio. 61

B

Bacchanalia prius diurna, poſtea nocturna cur effecta. 26 & ſeqq. libidinis fuerũt ſeminarium. 26. 27 quibus & cur cauſſa necis. 27. 28 neminem viginti annis maiorem initiari permittebant. 27. 28 quis primus detulerit in Italiam. 27 vt fierent a femiuis, 26 & ſeqq. cur dicantur arcana. 26 & ſeqq. quo autore gaudeãt. 26 nefas erat propalare. 31 cur vlulatibus admiſcerent fiſtulæ cantum. 40 vt incrementum ſuſceperint. 27
Bacchus ſeminib. oĩbus pręficiebatur. 29 30
Bello vt Muſica deſeruiat. 44. 45
Berecynthia cur leonibus vecta. 53

C

CAElos antiquiores octo numerabant 65
Cannæ ſyringis ſunt diſparis magnitudinis. 21
Cannarum fiſtulæ numerus diſpar, aut ſeptenus, aut nouenus. 22
Cantus in conuiuijs adhibebatur antiquitus ad ſuperandum calorem vini, & animũ reuellendum ab ebrietate. 47
Cãtu ac ſono demulceri furentũ inſaniã. 41
Carmina quæ nõniſi ocio perficiantur. 11 cur animari dicerentur in fiſtula. 68. cur dicantur Muſæ fœlices. 68
Concentus cælorum non auribus, ſed mentibus Pythagoricis percipiebatur. 22
Cybeles Deum mater eſt terra. 55
Cybeles cur Attim deperire dicatur. 55. 56
Cybeles cur capite turrita. 55
Cybeles dicta Aſtronoes. 61
Cybelis fabulam vt aliter ac vulgo narret Diodorus. 60
Cybeles Diodoro inuentrix fiſtulæ, cymbali tympanique. 68
Cyclus idyllium vetus. 76

D

DAuid muſica eruditus: 42 cur Sauli dilectus. 41. 42
Draco cur appoſitus ſimulachris Aeſculapij & ſalutis. 63 Draconis ſpecies cur ad Solẽ referatur. 63 Draco, cur cuſtodię theſaurorũ, & adytorum aſſignatus. 64 Dracones acutiſſimo viſu pollere. 64
Delubra multa Faunorum in agris. 20
Dei nomine veteribus appellabatur omne beneficum. 66
Diſpari numero Deus gaudet. 22
Diſciplina eſt cum labore. 48
Diſcentes non ſolantur. 48
Dorica harmonia concitat animos. 50

Echo

E

Echo indocilis dicta, quod nunquam vltra ſupremas voces reddere diſcat. 71
Eſmunus idem qui Aeſculapius & Sol. 61 cur dicitur ſol. 61 cur iuuenis. 65 cur fugere fictus Aſtronoen. 65
Empedocles cantu & ſono furorem adoleſcentis conpeſcuit. 44
Euohe vox erat boni ominis ac felicitatis. 34.35

F

FAunos vbi Ariſtoteles inſinuet. 20.21 Fauni ſunt Latinorum Dei. 21 Fauni cur dicantur Fatui. 21 Fauni dicuntur a fando. 21 Faunorum Inſtrumentum muſicum familiare fiſtula. 20.21
Fiſtula Porphyrij facta ad imitationem Theocriteę. 10 Fiſtulæ Poeticæ primus inuentor Theocritus. 16 Fiſtulā loquentē inducit Porphyrius verſimilius quā Arā Doſiadas. 19 Fiſtula eſt ſymbolum Poeſeos. 18 Fiſtulæ Dijs agreſtibus cur aptè tributa. 23 Fiſtula voces & ſermones imitari poteſt. 14 Fiſtula deliniebat ac moderabatur Bacchantium furorem. 40 Fiſtulę cantus dicitur amicus Pani & Mercurio. 71 Fiſtulam cur quercui ſuſpendat Optatianus. 17 Fiſtulę vſu delectatur Paris. 69.70 Fiſtulæ modos Pan primus excogitauit in vico Melpean. 51 Fiſtula Porphyrij ad Theocriteam comparata. 16 Fiſtula Porphyrij, vt ſit ſepticannis, ex quindecim verſiculis. 15 Fiſtula Attidis quid indicet in Sole. 54 Fiſtula Theocriti varijs verſuum generibus conſtructa 16 Fiſtulæ cannę cur conſortes varię dictæ. 51. 52 Fiſtulæ dignitatem vt comprobet Optatianus. 67 Fiſtula de quercu procera pendens cur poſita. 20
Fici folijs antiqui vt facies tegerent. 41
Fæmina animal eſt, quod in ſe ipſo gignit. 54
Fęcunditas vt ſignificaretur in orgijs Bachi. 54
Fælices muſæ ſunt carmina ſacra & Diuina. 68.64

G

GYmnaſtica perficit corpus. 48

H

HArmonia non vtendum eſſe ad voluptatem. 45 Harmonia nobis cognata. 48
Hercules cur Nemæi leonis pelle induceretur. 04
Heuuantes cur dicantur Satyri. 54
Homo viuentium perfectiſsimus ac fęcundiſſimus. 30 Homini cur a natura non ſit pręfinitum vnum concipiendi ac pariendi tempus, vt alijs viuentibus. 30

I

IDæa mater Opis. 60 Idæ mons fruges ſuppeditauit primò in vniuersā terrā. 60
Inanimata vt habeant locutionem. 19
Inſula narans Romanas claſſes terruit. 18
Ingenia varijs meditationibus coluntur. 10.11
Iracundia cantilenis reprimitur. 43

L

LAbyrinthus Idyllium vetus in ſpeciem labyrinthi carminibus compoſitil. 78
Linus muſicę ſpecies, quæ diceretur. 76
Luſus qui non minus quam Seria gloriam conſequantur. 11
Lyra vt vocem edat. 19 Lyra vtentes ad vini potum cur incuſet Euripides. 47

M

MAter Deum terra eſt. 53
Magnitudo mentulæ in orgijs Bacchi quid indicaret. 30
Mas animal eſt quod in alio generat. 54
Melodiarum diuiſio quę probetur. 49
Muſam ruſticanam primus coluit Heſiodus. 57
Mida prætulit Pana Phœbo canenti, malo ſuo fato. 58
Milites triumphantes vt dicterijs inceſſerent. 41
Muſa Paſtoralis allegorice ſignificata per fiſtulam. 33
Muſica doctrinalis. 49 Muſica deuotionem conſilians quæ 49. 50 Eleuat animam ad Deum vt ad ſummum ens immobile, 46 Animum curat, & prudentiam cōparat. 48 ſomni torporem diſcutiens. 44 data eſt ad animi motus compeſcendos. 45 animo cur maximè conueniat. 47. 48 labem magnā reipublicæ curat. 42.43 cur in cęnas veterum introducta ſit, 47 poteſt

ani

animi morem facere. 48 Purificans animos quæ 50. ſomnum conſilians. 44 Muſicæ vtilitas multiplex, & quæ. 49 Muſica veteres tanquam remedio vſos. 47 Muſicam docendos eſſe pueros. 48

N

NOuem cannę Syringis Panos indicāt, nouē Sphæras cæli Pythagoricis agnitas. 22

Nomij montes vbi Panis fanum. 51

Nympharum nomine viros illuſtres & prę ſtantes indicat Optatianus. 24

O

OLympus & oſſa Theſſaliæ montes altiſſimi. 36

Optatianus ſolus poſt Theocritum Syringen poeticā tentauit formare. 13 Optatiano fiſtula multas veterum hyſtorias inſinuat. 9

Oenones vt ſocia læti voti dicetur, 73

Orgia Bacchi cur arcana dicerentur. 28. 24 Orgia Bacchi vt conuenirent cum Panicis furoribus. 35

Oratores ſummi vt ſe exercebant. 11

P

PAn eſt Nympharū dux. 25 Panis domus cur ſaxea dicatur. 26 Paris iudex formę Publilio, iudex libidinis Petronio dictus, 72. 73 Pan cur Syringæ cānas fecerit numero ſeptenario, aut nouenario 22 Pan amauit Syringam & Pityn. 17 Panes miſtam naturam habere ex humana & Diuina, vt Poeta. 23. 24 Pan faunorum ſupremus. 20 Panes Dij Syluestres. 23 Pan fiſtula Nymphas in ſyluis demulcebat. 54 Pan amicus Bacchi. 51. 52. 53 Pā primus vſum Syringis docuit, & adhibuit in orgijs Bacchi. 50. 53 Pan Bacchi fuit amicus & comes. 34 Pan vbi ptimam ſiſtulā compegerit. 57 Pan fiſtulæ eantu delectat Nymphas. 25

Peneus fluuius Theſſalię continet aquas ad potū ſuauiſsimas, & lotioni ſalubres. 37

Pellices non bene conueniunt. 17

Peplus poematium Ariſtotelis. 79. 80 Pepli author non fuit Ariſtoteles ſtagyrites, at alter poeta. 80. 81 Pepli poematis figura Pallium referens. 81 & ſeqq. Pepli Ariſtotelici argumenrum. 79. 80. 81

Phallis quid myſticè ſignificaretur in orgijs Bacchi. 29

Philoſophia dux muſicę. 45 Philoſophia attollit animum ad Deum, vt ad ſummum verum. 46 Phi[illegible] historiarū, poeticorum cogn[illegible] minus quàm Oratori. 10

Poeſis maximè diuinitatem ſapit. 24

Poetæ Piatoni dicuntur Deorū filij. 18

Poeſis in ſermone & varicinio ſita. 21 Poeſis eſt hominis diuino furore perciti. 23 Poeſim vt myſticè ſignificarent vlulatus heuuantium ſatyrorum. 35 Poetarum habitationes oportunæ quæ. 35 Poetæ ſcitè a Porphyrio deſcribuutur per Panes. 23. 24 Poeſis reddit ſuos cultores eminentes & immortales. 18

Pitys in pinum verſa. 17

Pythagoras ebrium adoleſcentem vt cantu & ſono mentis compotē effecerit. 43. 44 Pythagorici muſica vt frequenter vterentur, & ad quid. 44

Pythagorici cur muſicā magni fecerīt. 47. 48

Porphyrij panegyricus miſerrimę patientiæ, temeritatiſq; penè incredibilis opus 13 Porphyrij poematia laudātur ab omnibus, ſed a nemine declarātur. 10

Principibus Diuinitas quædam ineſt. 33

Pueri muſicā nō diſcūt ſolatij cauſa. 48

Potentum furor vt deliniatur. 42

Phrygia harmonia concitat animos. 50

Phrygius cantus incitat. 43

Q

QVercus inter ſtirpes prima. 18 ſemper virens. Quercus miræ proceritatis apud Aquilonares. 18 Quercus duas habet præcipuas dotes proceritatem & frondis honorem.

R

ROmæ quando, & quomodo detecta ſcelera Bacchanalinm. 31 & ſeqq.

Rythmorum differentiæ. 48

S

SApientia eſt humana felicitas. 68

Scaliger omnia audēs. 78 Scaligeri oua hypenemia. 78

Septem fiſtulę calami notantur in paruo mundo, ſecundum analogiam magni. 22. 23 Septem cannę fiſtulæ panis indicāt

ſeptem

ſeptem orbes planetarum mundi. 22
Satyri myſtice repræſentant principes & Sacerdotes, & cur 33. 34 Satyri vt fuerint Bacchi Sacerdotes. 34
Spiritus malus cantu ac ſono pulſus. 41. 42
Spondeus cantus grauis, & tardus affectus concitatos ſedat. 44
Sphæra poema in honorem Lini poetæ. 75 76 Sphæræ poematis author Orpheus. 75
Sonus animi affectus mutat, 45 Sonus fiſtulæ recreat laſſitudinē. 40 Sonus Cannarũ fiſtulæ vt ſit diſpar in ſingulis. 22
Sol vt agat in omnia terrena. 54 vt genitale membrum ſibi dicatur amputare ſub Attidis perſona. 65. 66. Sole accedente fieri rerum generationes, vt verum ſit. 54 Sol vt amet terram. 54 Cur dicatur Eſmunus, id eſt octauus. 65 Cur venator eſ fictus. 65
Salus vt ſit effectus naturæ lunaris. 63
Syrinx vt a Porphyrio formata. 14 Syrinx Theocriti ſepticannis eſt vt Optatiani, licet multò pluribus verſibus compacta. 16 Syrinx non delectat vrbes ac theatra, vt lyra, & tuba, ſed ſyluas & cur. 24 Syringis poeticę conſtructio difficilis. 13 Syrinx Attini tributa in ſignũ victorię, qua Sol Pana canētem ſuperauit. 59 Syringis ſonus cur adhibitus in orgijs Bacchi. 53 Syrinx cur dicatur compacta modis diſparibus. 21. 22 Syringem cur pinui ſuſpēſam fingerent antiqui. 67 Syrinx cur dicatur demulcere nympharum choros. 24 Syrinx fuit Nympha conuerſa in calamos ex quibus fiſtula cōpacta. 19 Syringis vſum Soli vt tribuerit Optatianus. 56. 57
Syringa Porphyrij verſibus omnibus hexametris conſtituitur. 9. 16 Syringam eſſe Nymphā Arcadiæ vt innuat Optatianus 17. 18. 19

T

Terra vt Soli reſtituat calorem genitalē. 66. 67 Terrena omnia maximè gubernari a Sole. 56 Terra vt Solem deificare dicatur. 66 Terra ſe habet ad cælum, vt fæmina ad marem, & cur. 54. 55 Terra varijs ſeminibus colitur. 10. 11 vt Solem fugientem compreheudere dicatur. 63
Theocriti ſytinx facilior factu, difficilior intellectu Porphyriana. 16
Throni poema dictum a ſchemate ſeu figura quam metra referebant. 77
Tibia vt vocem edat. 19
Thria Baccho ſacra quid ſint. 41
Tempe pulchra deſcriptio. 35. & ſeq.
Turnus balteo Pallantis indutus. 59
Thyaſus etiam eſt conuiuantium cœtus. 38
Thyaſus eſt conuentus hominum diuinæ rei cauſſa. 38 indicat folia ficus, quibus Bacchantes vultum ſibi velabant. 40. 41 Thyaſus propriè eſt ſacer chorus Baccho ſacra faciens. 39 Thyaſi nomine ſignificari furorem poeticum. 40. 41

V

Victores Victorum exuuijs induebantur 59
Venti propriam vt ſumant de Sole ſubſtantiam. 54 venti vt oriantur. 54 nullam habent æqualitatem. 54
Virga Attinis vt Solis poteſtatem denotet. 54
Virgilius imitatus Heſiodum ſe nuncupat Coridonem. 57
Vinum nimium animos & corpora labefactat. 47
Viro graui quæ ſtudia ſint oblectamento & emolumento. 12

FINIS.

SPECIAL 93-B
4290